ARISTOPHANIS PAX
SVPERSTES VTRVM PRIOR SIT AN RETRACTATA

DISSERTATIO INAVGVRALIS

QVAM

AMPLISSIMI PHILOSOPHORVM IENENSIVM ORDINIS

CONSENSV ET AVCTORITATE

AD

SVMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE IMPETRANDOS

SCRIPSIT

HERMANNVS HELMBOLD
ISENACENSIS

IENAE
TYPIS G. NEVENHAHNI
MDCCCXC

Cap. I. **Quo tempore ea quam nunc habemus Pax sit docta.**

Aristophanis quam nunc habemus Pacem Alcaeo archonte Dionysiis magnis, i. e. a. 421 mense Elaphebolione circiter medio, primis mensis Aprilis diebus, doctam esse primi argumenti verbis sine dubio e didascaliis haustis confirmatur: *ἐνίκησε δὲ τῷ δράματι ὁ ποιητὴς ἐπὶ ἄρχοντος Ἀλκαίου ἐν ἄστει κτλ.* Quo cum argumento ea quae de tempore ex ipsa fabula colliguntur optime congruere et singula videri tantummodo obstare ab aliis, ut nuper a Ruppersbergio (in progr. gymnasii Salembruc. a. 1888), ita expositum est, ut rem paucis complecti satis habeam. Cleonem enim et Brasidam iam mortuos esse e v. 269 et 282 perspicuum est. Sunt autem occisi aestate a. 422 exeunte auctore Thucydide[1]), Eratosthene teste (schol. Pac. 48) octo mensibus

---

1) Thucydides postquam res apud Amphipolin gestas memoriae prodidit, ita pergit V 12, 1: *Καὶ ὑπὸ τοὺς αὐτοὺς χρόνους τοῦ θέρους τελευτῶντος* et 12, 2: *ἐνδιατριβόντων δὲ αὐτῶν ἔτυχεν ἡ μάχη αὕτη γενομένη, καὶ τὸ θέρος ἐτελεύτα.* Atque in initio quinti libri haec sunt: *Τοῦ δ' ἐπιγιγνομένου θέρους αἱ μὲν ἐνιαύσιοι σπονδαὶ διελέλυντο μέχρι Πυθίων· καὶ ἐν τῇ ἐκεχειρίᾳ Ἀθηναῖοι Δηλίους ἀνέστησαν ἐκ Δήλου κτλ.* Cum autem Pythia media mensis Augusti parte celebrarentur, quod tempus *τελευτῶν θέρος* vix appellari posset, plerique homines docti, ut Grote, Mueller-Struebing, Unger, Herbst haec non sic intellegenda esse putaverunt: 'indutiae solutae erant, i. e. bellum erat usque ad Pythia', sed ex contrario: 'bellum usque ad Pythia non erat'. *Ἐκεχειρίας* igitur nomen hoc loco non indutiis illis, quae erant a fine mensis Martii a. 423 usque ad idem tempus insequentis anni, sed Py-

ante Dionysia magna, i. e. initio mensis Augusti a. 422. Atque comoediam non multo post pugnam Amphipolitanam scriptam esse Trygaeus ostendit metuens, ne Cleo ad vitam revertatur (v. 649 *ἀλλ' ἔα τὸν ἄνδρ' ἐκεῖνον οὗπερ ἔστ' εἶναι κάτω*) aut ne alius quispiam, priusquam statua Pacis ex antro extracta, scil. pax facta sit, belli cupidus exsistat. Punctum autem temporis poeta quasi digito demonstrat, cum Boeotos Megarenses Argivos deae liberandae obstantes facit. Thucydides enim postquam de ea quam Niciae appellamus pace a. 421 statim post Dionysia magna facta locutus est de Boeotis et Megarensibus haec dicit V 17, 2: *τότε δὴ παρακαλέσαντες τοὺς ἑαυτῶν ξυμμάχους οἱ Λακεδαιμόνιοι καὶ ψηφισαμένων πλὴν Βοιωτῶν καὶ ... Μεγαρέων τῶν ἄλλων ὥστε καταλύεσθαι (τούτοις δὲ οὐκ ἤρεσκε τὰ πρασσόμενα), ποιοῦνται τὴν ξύμβασιν*, et de Argivis V 22, 2: *ἐπειδὴ οὐκ ἤθελον Ἀμπελίδου καὶ Λίχου ἐλθόντων ἐπισπένδεσθαι.* Neque quod v. 989 sq. Trygaeus bellum iam per tredecim annos gestum queritur, ideo ab illius argumenti auctoritate nos revocari iam pridem Samuel Petitus (Exerc. crit. p. 742), Krueger (Clintonis fasti Hellen.), alii viderunt; quam quidem quaestionem Ruppersberg accura-

---

thiorum feriis dari, itaque Cleonem post peracta demum Pythia profectum esse. Sed ut paucis explicem quomodo res sese habere mihi videatur, primum *ἐκεχειρία* nihil esse potest, nisi indutiae, quas supra memoravimus. Nam Thucydides a. IV 117 saepius eas nominat et semper *ἐκεχειρίαν* nuncupat (IV 117, 1 et 3; 118, 11 et 12; 119, 3; 122, 1; 123, 1 et duobus capitibus ante hunc locum 134, 1). Cleo igitur primis mensis Aprilis diebus in Thraciam se contulit. Deinde antecedentium verborum iustus sensus, qui est: 'decimo belli anno bellum gestum est usque ad Pythia' neque coniectura neque interpretatione mutari potest. Iam cum Thucydidis aestatem circiter a vicesimo mensis Martii die ad eundem Septembris diem pertinere nunc constet, proelium autem perbrevi ante Pythia, itaque ipso medio Augusto mense fuerit, hoc tempus non iniuria *τελευτῶν θέρος* appellatur Itaque videmus Thucydidis et Eratosthenis, fidissimorum auctorum, testimonia bene inter se congruere.

tius tractavit et absolvit: Trygaeus enim belli annos iam inde a Corinthiorum et Corcyraeorum inimicitiis a. 434 aperte inceptis enumerat. Braeuningii quoque dubitationes ('Jahresber. des Stadtgymn. 2. Halle' 1874) idem Ruppersberg refutavit, sed earum gravissimam non ita, ut probare possim. Braeuning enim (p. 10 sqq.), quia Athenienses Niciae potissimum auctoritatem secuti bello conficiendo assensi essent, Hyperboli potentiam censet tum non tantam fuisse, ut dici potuerit v. 680: *κρατεῖ νῦν τοῦ λίθου τοῦ 'ν τῇ πυκνί* et mox: *πονηρὸν προστάτην ἐπεγράψατο* (scil. *δῆμος Ὑπέρβολον*). Ruppersberg quidem e. v. 685: *ἀλλ' οὐκέτ' αὐτῷ χρησόμεθ' οὐδέν* illum tum non multum valuisse putat apparere. Contra ex eo colligendum est ad id tempus Hyperboli arbitrio rem publicam rectam esse. Neque v. 921: *Ὑπέρβολόν τε παύσας* eius sententiam adiuvat, cum ea verba nullius rei nisi fabulae fictionis, Pacis liberatae, rationem habeant et pace facta Hyperbolum, acerrimum eius inimicum, quominus cives ad bellum continuandum inflammaret, prohibitum significent. Sed alia via est progrediendum. Fieri enim potest, ut ille homo eo quoque tempore, quo populus pacem faciendam decrevit magnam auctoritatem habuerit. Nam contra Muellerum-Struebingium (Aristophanes u. d. hist. Kritik) tenendum est illo loco de Hyperbolo popularis factionis duce agi, qui in contione maxime populi plausum moverit; in contionibus autem praeter bellum gerendum aut pacem faciendam multa alia tractabantur, in quibus non video cur Hyperbolus illo quoque tempore auctoritate frui non potuerit. Accedit, quod Pax iam liberata ducem populi quaerit, ita ut Trygaeo non iam de eo ut pacis ineundae adversario, sed omnino de populi praeside respondendum sit[1]).

---

1) Ad definiendum tempus fabulae doctae v. 700 et 701 quoque accuratius rem non perspicienti alicuius momenti videantur, qui haec Trygaei de Cratino comico verba continent: *ἀπέθανεν, ὅθ' οἱ Λάκωνες*

Cap. II. De iis dubitationibus, quae pertinent ad Pacis v. 47 sq., v. 963 sqq., v. 376, v. 406 sqq.

Postquam quaestionem de tempore, de quo nunc quidem viri docti vix dissentiant, absolvimus, ad controversiam transeamus, quae si quid video nondum diiudicata est. Nam cum iam aliis Aristophanis Pax minus perfecta visa esset, Droysen in prooemio fabulae versioni praemisso illud iudicium cum argumento tertio composuit, ubi sic est: *Φέρεται ἐν ταῖς διδασκαλίαις καὶ ἑτέραν δεδιδαχὼς Εἰρήνην ὁμοίως ὁ Ἀριστοφάνης κτλ.*: unde quam nos habeamus fabulam prioris cuiusdam comoediae cognominis retractationem esse, sed graves et satis pravas mutationes passam censuit; ita enim nostrae Pacis inconcinnitatem facile explicari. Quam alii secuti sententiam locos inter se non congruentes, difficultates scaenicas, res a ceterarum comoediarum indole differentes, quae omnia essent rectractationis vestigia, detexerunt aut detexisse sibi visi sunt. Quae cum adhuc non

---

ἐνέβαλον. Quam irruptionem cum non multo ante fabulam scaenae commissam fuisse oporteat, de comoediae tempore aliquid certi statuere possemus, si de irruptionis tempore constaret. Cum autem Cratinus Dionysiis a. 423 Pytinam suam docuerit, ea autem Dionysia indutiae unius anni exceperint (Thuc. IV 118, 12), ad spatium inter ver anni 422 et Dionysia 421 peractum fortasse quispiam eam rettulerit. Sed Thucydides post quintam in Atticam irruptionem a. 425 factam usque ad Niciae pacem nullam tradit; et re vera nullam fuisse, quod obsides ab Atheniensibus capti impediverunt, Thuc. IV 41, 1 ostendit: *Κομισθέντων δὲ τῶν ἀνδρῶν οἱ Ἀθηναῖοι ἐβούλευσαν δεσμοῖς μὲν αὐτοὺς φυλάσσειν μέχρι οὗ τι ξυμβῶσιν· ἢν δ' οἱ Πελοποννήσιοι πρὸ τούτου ἐς τὴν γῆν ἐσβάλλωσιν, ἐξαγαγόντες ἀποκτεῖναι.* Res igitur ab Aristophane, ut ridicule Cratinum perstringeret, ficta est, sive re vera mortuus erat Cratinus, sive superstes. (Videas quae Zielinski exposuit ‚Rhein. Mus.' vol. XXXIX p. 301 sqq.).

omnia refutata sint, singula minus probabiliter tractata, nuperrime autem Carolus Ludewig (Pluti Aristophaneae utram recensionem veteres grammatici dixerint priorem. Diss. Jen. IV, p. 106 sqq.) adnotationibus quibusdam veterum grammaticorum Droysenii iudicium confirmari existimaverit, accuratius de ea re agamus et primum quidem ea, quae ex ipsa fabula eliciantur, perlustremus.

V. 43 sqq. e spectatoribus iuvenis quidam, quid scarabaeus significet, ab Ionico viro quaerit. Cuius responsum optimi codices ita habent:

δοκέω μὲν ἐς Κλέωνα τοῦτ' αἰνίττεται,
ὡς κεῖνος ἀναιδέως τὴν σπατίλην ἐσθίει.

Sed caesura illa: *κεῖνος ἀναιδέως*, qua anapaestus post primam syllabam inciditur, durissima est et ab Elmsleio ita remota: *ὡς κεῖνος ἡδέως σπατίλην ἐσθίει;* quoniam autem nimium abest a codicum lectione, Bentlei coniecturam *ἀνέδην* praefero [1]). Sed ut ad nostram quaestionem veniamus, illud *κεῖνος* ab omnibus ad Cleonem relatum est, ut iam a scholiastis, qui dicunt: *ἐσθίει ἀντὶ τοῦ ἤσθιεν.* Droysen igitur et alii hunc locum vivo Cleone scriptum et Pacis prioris vestigium esse existimant, alii ut Dobree, quod scholiastae commendant, *ἤσθιεν* probaverunt. Sed quemnam sensum haec verba habent: *Κλέων τὴν σπατίλην ἐσθίει? Σπατίλην* quidem alter scholiasta stercus alter caenum a coriis abrasum esse explicat. Sed 'Cleo stercus edit' non minus displicet quam 'Cleo coriorum caenum edit'. Et ne ambiguitatem quidem notionis a poëta facete (?) excogitatam inesse licet cogitare; manet enim illud ineptum. *Κεῖνος* igitur ad Cleonem cum nequaquam referri possit, Droysenii sententia cadit. Sed

---

1) Ex reliquis coniecturis duas affero: van Leeuwen lectione sua: *ὡς κεῖνος ἐν Ἅιδου* offensionem, quae est in caesura, non removet, Heerwerdenii autem emendatio (cf. Hermes XXIV p. 612) *ὡς νῦν ἐν Ἅιδου* a codicum lectione longius distat.

accedit ad eam evertendam, quod nemo unquam invenerit, ut Ruppersberg recte monet, quanam de causa poëta Cleone mortuo locum non mutaverit, qui non iam aptus erat; neque enim quemquam tum ferri non posse effugere poterat. Immo κεῖνος ad scarabaeum pertinere opus est, quod idem Ruppersberg rectissime probavit; ambiguitate autem verborum quacunque relicta prioris scholii de stercore explicatio accipienda est. Atque si integre illos versus perlegeris, num ulla dubitatio ex ratione grammatica hausta te impedit, quaeso, quominus pronomen illud ad scarabaeum referas? Ἐσθίει igitur in Pace a. 421 docta bene aptum erat. Sed in illorum doctorum hominum explicationibus etiam eam rationem ostendi desideramus, qua poëta Ionem potissimum illa verba pronuntiantem fecerit. Lectio quidem a Schneidero (N. Jahrbb. f. Philol. CXVII p. 676 sq.) proposita, quae est σκατίλην, in qua ratio ionice loquendi ridicule subesset et quod simul caenum coriorum, σπατίλην, significaret et stercus, σκάτος, resiperet, non solum propter rationes supra expositas, sed etiam per se displicet. Qua de causa autem comicus Ionem elegit? Respiciamus eam sententiam, quam secundum nostram lectionem locus habet: Ion Cleonem perstringi opinatur, quod in scaena scarabaeus impudenter sive largiter stercore vescatur, praedicat ergo Cleonem voracem esse. Vorax quidem saepius appellatur, ut Nub. 591, ubi λάρος, Vesp. 35, ubi φάλαινα πανδοκεύτρια nominatur, sed cur hoc loco Ion potissimum eum incusat? Perlucida fit res, si perpendimus, Cleonem in sociorum, quorum magnam partem Iones efficiunt, tributis reipublicae potentiam niti censuisse (Thuc. III 39, 8; καὶ τυχόντες μὲν πόλιν ἐφθαρμένην παραλαβόντες τῆς ἔπειτα προσόδου, δι' ἣν ἰσχύομεν, τὸ λοιπὸν στερήσεσθε) et si verisimillimum esse comperimus Cleonis potissimum opera a. 425/4 sociorum tributa aucta esse, id quod Keck (Quaest. Ar. hist. cap. III) contra Muellerum-Struebingium probavit. Sociis nimirum iratis

Cleo ipse illa in suum usum recipere videtur. Et Aristophanes ipse ostendit, quanto studio ille tributa a sociis coegerit Equ. v. 313: *κἀπὸ τῶν πετρῶν ἄνωθεν τοὺς φόρους θυννοσκοπῶν*, atque Vesp. v. 669 sqq. Cleonis pravitatem exaggerans:

κᾆθ' οὗτοι μὲν δωροδοκοῦσιν κατὰ πεντήκοντατάλαντα
ἀπὸ τῶν πόλεων, ἐπαπειλοῦντες τοιαυτὶ κἀναφοβοῦντες,
δώσετε τὸν φόρον, ἢ βροντήσας τὴν πόλιν ὑμῶν ἀνατρέψω.

Quod quin ad Cleonem eiusque sectatores referendum sit, nemo dubitaverit [1]). Toto igitur loco v. 43—48 comicus simul spectatorum animos curiosos eludens illam Cleonis rationem suo more vituperat. Atque si Stanger (Über Umarbeitung einiger Aristoph. Komoedien p. 35) Aristophanis non esse contendit in defunctos inimicos invehi, obiciamus ei v. 652 sqq.:

κεἰ πανοῦργος ἦν ὅτ' ἔζη,
καὶ λάλος καὶ συκοφάντης
καὶ κύκηθρον καὶ τάρακτρον

et multo acriores illas contumelias v. 754 sqq., quas non e Vespis repetivit, sed quas ex Pace in Vespas a posterioribus illatas esse propter imperfecta illa *ἔλαμπον, ἐλιχμῶντο, εἶχεν* cum Muellero-Str. (p. 171 adn.) censeo [2]).

---

1) Quamquam Mueller-Struebing ad Periclem id rettulit, quod ille solus dici potuit tonitru sociis minari. Sed Bdelycleonis verba ad tempus Vesparum scaenae commissae spectant, quo tempore Pericles iam diu mortuus erat. Vocabulo autem *βροντήσας* nescio an poeta Cleonem Periclis rationem imitantem eludat.

2) Stangeri dubitationem, quamquam ab aliis iam refutata est, tamen ut quaestionem perficerem iterum protuli. Sed etiam grata mihi venit, quod ansam alius Pacis loci corrigendi mihi suppeditat. Ruppersberg enim ut Stangerum impugnet, v. 313 sqq. quoque usus est, qui contumelias in Cleonem missas continerent. Sunt in optimis codicibus hi:

εὐλαβεῖσθε νυν ἐκεῖνον τὸν κάτωθεν Κέρβερον
μὴ παφλάζων καὶ κεκραγώς, ὥσπερ ἡνίκ' ἐνθάδ' ἦν κτλ.

Neque solus illum Cerberum Cleonem esse ratus est, sed quod cogno-

Aliud deinde, quod Stanger e priore recensione relictum esse censuit, tangam tantummodo. In v. 479 sq.:

ἆρ' οἶσθ' ὅσοι γ' αὐτῶν ἔχονται τοῦ ξύλου
μόνοι προθυμοῦντ'· ἀλλ' ὁ χαλκεὺς οὐκ ἐᾷ

eum fabrum Cleonem esse Equ. v. 469: ἐπὶ γὰρ τοῖς δεδεμένοις χαλκεύεται comprobari putat, ἐᾷ igitur, quod in εἴα mutari non posset, vestigium retractationis esse. Sed ad

---

mina ei Equ. 137, 1017, 1030 et in Pace v. 754 indita: Παφλαγών, κεκράκτης, κύων Κέρβερος, κύων καρχαρόδους effecerunt, ut Cleo hic quoque dici videretur, κάτωθεν autem ad eum mortuum bene quadrabat, iam inde a scholiastis omnes adhuc interpretes idem existimaverunt. Itaque postquam Trygaeus chorum monuit, ne Polemum, deinde, ne Cleonem excitaret, ita pergit v. 318:

ἐξολεῖτέ μ', ὦνδρες, εἰ μὴ τῆς βοῆς ἀνήσετε·
ἐκδραμὼν γὰρ πάντα ταυτὶ ξυνταράξει τοῖν ποδοῖν.

Sed quis excurrat? Modo quidem de Cleone dictum erat, sed intus, in Iovis regia, Polemus, non Cleo est. Polemus igitur solus excurrere potest et idem aptissime, quod Pacem antro inclusam custodit, Cerberus appellatur. Sed tum κάτωθεν obstat. Iam vero Zielinski (Gliederung d. altatt. Komoedie p. 359), qui unus omnium, quod sciam, illam difficultatem vidit, ea audacissime utitur, ut demonstret et nostram Pacem retractatam esse et in parodis 'symmetriam' esse. Contendit enim v. 309—322 e partibus inter se respondentibus duarum fabulae recensionum, quae partes singulae aequaliter et congruenter perfectae fuissent, compositos esse. Aristophanes igitur, ut alia mittam, tam incondite versus composuit, ut Polemum (sive Iovem) et Cleonem plane confunderet! Sed multo simpliciore modo emendandum est. Quid, si scribamus: εὐλαβεῖσθε νυν ἐκεῖνον τὸν πανοῦργον Κέρβερον? Sed dixerit quispiam illud νυν significare v. 313 novum aliquem introduci. At saepius poeta, si quem instare alicui hortando vult, ea particula utitur, ut Thesm. v. 104 sq. τίνι δαιμόνων ὁ κῶμος; λέγε νυν. Plut. v. 413 sq.:

ΒΛΕ. μὴ νυν διάτριβ', ἀλλ' ἄνυε πράττων ἕν γέ τι
ΧΡΕ. καὶ μὴν βαδίζω. ΒΛΕ. σπεῦδέ νυν.

Atque κάτωθεν ne certe quidem traditum est codice C εὐλαβεῖσθε νῦν τὸν Κέρβερον, B et. Ald. εὐλαβεῖσθ' ἐκεῖνον Κέρβερον καὶ δεδίττεσθε exhibentibus. Quam bene autem ad Polemum Pacem custodientem atque brevi ante tumultuatum et minatum sequentia referantur, neminem fugiet:

μὴ παφλάζων καὶ κεκραγώς, ὥσπερ ἡνίκ' ἐνθάδ' ἦν
ἐμποδὼν ἡμῖν γένηται τὴν θεὸν μὴ 'ξελκύσαι.

Equitum locum iniuria provocari, χαλκεὺς autem vocem ad illum fabrum spectare, qui Lacedaemonios Sphacteriae captos vinclis affixos coerceret, a Ruppersbergio non minus probabiliter quam accurate demonstratum est.

Verum Zielinski vestigiis modo tractatis non contentus etiam atque etiam dubitationes movet, quas, nisi Pacem retractatam esse crederemus, reici non posse opinatur. Quae quidem de statua Pacis a Phidia non ad finem perducta, postea a quodam discipulo eius perfecta et Dionysiis magnis a. 421 per nostram fabulam ex priore mutatam consecrata profert, ea a compluribus viris doctis ita refutata sunt, ut labore redarguendi mihi supersedendum sit. Neque vero offensiones ipsas, quas invenit, neglegere possumus. Atque primum quidem Pacis commissio a. 421 diversa ei videtur fuisse a ceterarum fabularum commissionibus. Nam alioquin feminis comoediarum aditu prohibitis tum mulieres in theatro fuisse ex v. 963 sqq. concludit, qui sunt:

ΤΡΥ. ἔδωκας ἤδη: ΟΙΚ. νὴ τὸν Ἑρμῆν ὥστε γε
τούτων ὅσοιπέρ εἰσι τῶν θεωμένων
οὐκ ἔστιν οὐδεὶς ὅστις οὐ κριθὴν ἔχει.
ΤΡΥ. οὐχ αἱ γυναῖκές γ' ἔλαβον. ΟΙΚ. ἀλλ' εἰς ἑσπέραν
δώσουσιν αὐταῖς ἄνδρες.

Hordeum igitur a servo in spectatores disiectum ad feminas, quae in superioribus theatri ordinibus sedissent pervenire non potuisse. Contra quae recte quidem Ruppersberg profert, si Paci in scaenam commissae feminis interesse licuisset, tum quominus ceteris quoque comoediis interessent, nihil obstare potuisse. Minus recte autem de meretricibus, quae fortasse inter spectatores esse solerent, sermonem esse existimat; quod credere haec verba nos vetant: *ἀλλ' εἰς ἑσπέραν δώσουσιν αὐταῖς ἄνδρες*, ubi vix quisquam de aliis ac de coniugibus cogitaverit. Feminas autem a comoediis afuisse cum Lysistratae parabasis indoles tum Pacis ipsius

v. 50 sqq. ostendunt, quibus omnes nominandi sunt spectatores, dicuntur autem soli viri:

ἐγὼ δὲ τὸν λόγον γε τοῖσι παιδίοις
καὶ τοῖσιν ἀνδρίοισι καὶ τοῖς ἀνδράσι
καὶ τοῖς ὑπερτάτοισιν ἀνδράσιν φράσω
καὶ τοῖς ὑπερηνορέουσιν ἐπὶ τούτοις μάλα.

Dubitandum igitur est, num Zielinskii conclusio recta sit. Iam plerumque sacrificiis mulieres interfuisse consentaneum est. Quod autem in theatro non adfuerunt, Trygaeus adducitur, ut moneat viros quidem hordeum accepisse, feminas carere, Aristophani autem facete illud dictum praebetur, quod huic loco subest. Feminae igitur hordeum non accipiunt, quia omnino non adsunt.

Qua dubitatione refutata ad aliam transeamus. Zielinski enim p. 69 miratur, quod Mercurius Trygaei insolentia iratus v. 376 non Polemum, sed Iovem vocat: 'er erhebt seine Stimme und ruft — doch wohl den Wächter Eirenes? Nein, Zeus selber'. Sed idem v. 180 quoque Herculem vocat, eodem modo Av. 224 Pithetaerus Iovem, omnes denique, qui terrore vel timore vel admiratione moventur, Iovem vel Neptunum vel Mercurium vel Apollinem vel alium deum vocant! Zielinski igitur meram interiectionem hoc loco exstare non voluit, quamquam ultro attributo *κεραυνοβρόντα* sollemni confirmatur. Trygaeus videlicet timore perterritus ita interiectionem intellegit, ut Zielinski, sed nobis aliter intellegenda est. Hic autem ut alteram antea recensionem exstitisse demonstret, illud cum scholiastae quadam adnotatione coniungit, qui a v. 236, ubi Polemus primum prodit, haec monet: *ὁ Πόλεμος ἐξέρχεται ... τινὲς δὲ φασιν τὸν Δία ταῦτα λέγειν.* Quod explicari non posse, nisi in prima recensione similis scaena fuisset, in qua pro Polemo Iuppiter prodiisset. Sed dubito, num fas sit in scholiastae adnotatione nescio unde hausta vel errore orta talem coniecturam ponere. Namque si Zielinskium sequimur, cum etiam

putandum sit, quosdam de prima recensione aliquid scivisse, nonne mirum est illos de aliis locis a nostra comoedia differentibus qui nimirum tum exstiterint, plane nihil compertum habere? Neque enim quidquam amplius scholiastae tradunt. Atque quid est, quod Iovem dixisse quidam tradunt? Si non omnia ea, quae Polemus dicit, tamen haec v. 236:

ἰὼ βροτοὶ βροτοὶ βροτοὶ πολυτλήμονες,
ὡς αὐτίκα μάλα τὰς γνάθους ἀλγήσετε.

Quae artissime cohaerent cum illa scaena, quae sine Cleonis et Brasidae mortibus cogitari nequit[1]), tota autem scaena nullam personam hominibus minari patitur nisi Polemum. Sequitur, ut hoc loco recensio ante a. 421 docta non indicetur.

V. 406 sqq. deinde haec leguntur:

TPY. ἡ γὰρ Σελήνη χὡ πανοῦργος Ἥλιος,
ὑμῖν ἐπιβουλεύοντε πολὺν ἤδη χρόνον,
τοῖς βαρβάροισι προδίδοτον τὴν Ἑλλάδα.
EPM. ἵνα δὴ τί τοῦτο δρᾶτον; TPY. ὁτιὴ νὴ Δία
ἡμεῖς μὲν ὑμῖν θύομεν, τούτοισι δὲ
οἱ βάρβαροι θύουσι. διὰ τοῦτ' εἰκότως
βούλοιντ' ἂν ἡμᾶς πάντας ἐξολωλέναι,
ἵνα τὰς τελετὰς λάβοιεν αὐτοὶ τῶν θεῶν.
EPM. ταῦτ' ἄρα πάλαι τῶν ἡμερῶν παρεκλεπτέτην,
καὶ τοῦ κύκλου παρέτρωγον ὑφ' ἁμαρτωλίας[2]).

De quibus Zielinski hanc profert argumentationem: 'Quod Mercurius ad extremum dicit, ea nova causa sit necesse est, quae modo in mentem ei venit. Trygaeo igitur aliud in animo fuit: solis et lunae obscurationes. Nam quomodo illa sidera Graecis inimicitias suas ostendere pos-

1) Similiter Droysen illum locum ex Pace a. 422 scaenae commissa remansisse dicit, quamquam tota scaena in Cleonis et Brasidae caede nititur.

2) Sic enim scribendum pro ἁρματωλίας propter metrum.

sunt nisi defectibus?' Quae quominus concedamus, nihil nos prohibet. Sed Zielinski ita pergit: 'illi, quos Trygaeus significat, solis et lunae defectus brevi, ut consentaneum est, inter se excipientes eidem sunt, quos Aristophanes Cleonem creatum eiusque in Thraciam expeditionem antecessisse Nub. v. 581 sqq. commemorat. Gravissimis autem illis tempestatibus eiusmodi prodigia mali aliquid praedicere debebant, scil. periculum esse demonstrabant, ne Lacedaemoniorum et Atheniensium opibus attritis Graecia barbarorum praeda fieret. Sed postquam illa prodigia Cleoni tantummodo et Brasidae perniciei fuisse apparuit, de tali timore a. 421 cogitari non potuit.' Speciosa quidem est et sagaciter excogitata sententia, sed minime probanda. Priusquam in Nubium illum locum inquiramus, Thucydidem, qui defectus solis et lunae belli Peloponnesiaci tempore factos memorat, interrogemus, num brevi ante Cleonem ducem creatum, i. e. aestate anni 425 defectum aliquem noverit — neque enim nisi perbrevi ante illud tempus fuit, ad Cleonem pertinere potuit. Neque vero Thucydides quamquam solis et lunae defectus, qui eodem sive fere eodem tempore evenerint, praecipue memorabiles fuerint necesse est, tales tradit, sed, duos per primum belli decennium solis, et solis solius, defectus memoriae tradit, quorum alter sex annis antea, alter non multo post Cleonem creatum evenit. 'At brevi ante illud punctum temporis defectus solis et lunae fuisse Nub. v. 581 sqq. poëta diserte docet:

εἶτα τὸν θεοῖσιν ἐχθρὸν βυρσοδέψην Παφλαγόνα
ἡνίχ' ᾑρεῖσθε στρατηγόν, τὰς ὀφρῦς συνήγομεν
κἀποιοῦμεν δεινά· βροντὴ δ' ἐρράγη δι' ἀστραπῆς·
ἡ σελήνη δ' ἐξέλειπε τὰς ὁδούς· ὁ δ' ἥλιος
τὴν θρυαλλίδ' εἰς ἑαυτὸν εὐθέως ξυνελκύσας
οὐ φανεῖν ἔφασκεν ὑμῖν, εἰ στρατηγήσει Κλέων.
ἀλλ' ὅμως εἵλεσθε τοῦτον.'

Sed nonne multo potius de atroci tempestate noctem et

diem durante cogitandum est, qua et luna et sol obscurati sunt? Quae quidem Nubium chorus modo dixerat v. 579 sq.:

αἵτινες τηροῦμεν ὑμᾶς. ἢν γὰρ ᾖ τις ἔξοδος
μηδενὶ ξὺν νῷ, τότ' ἢ βροντῶμεν ἢ ψακάζομεν,

ea Nubes ipsas obscurationem quoque siderum adduxisse admodum probabile reddunt. 'At vocabulo sollemni defectibus indito ἐξέλειπε lunae defectum describi apparet'. Appareret, nisi additum esset τὰς ὁδοὺς, quae verba sollemnem illam notionem adimunt. An si ita vertimus: 'luna ab itinere suo discessit', his verbis lunae defectus exprimi potest? Sed *ὁδοί*, id quod Beloch (D. att. Politik s. Perikles p. 269 sq.) rectissime vidit, urbis Athenarum viae sunt. Nubium igitur sermo ita explicandus est: 'Si imprudenter expeditionem facere vultis, tonamus et pluvium demittimus. Sed cum Cleo crearetur, multo plus fecimus: ingentem deiecimus imbrem (*τὰς ὀφρῦς συνήγομεν κἀποιοῦμεν δεινά*) cum tonitru et fulmine, ita ut viae luna carerent et sol obscuraretur. Tamen illum creavistis'. Sed ut ad Pacem revertamur, quid Trygaeo, cum siderum, quas iam diu Graecis struerent, insidias detegeret, in animo erat? Ut aliquid certi in mente habuerit, ad defectus respexit a Thucydide commemoratos, quos ad priora tempora crebriores tum evenisse — septem annis bis — I 23, 3 dicit.

Cap. III. **De choro Pacis.**

Hoc capite exponentur difficultates ad chorum eiusque in extrahenda Pacis statua motus spectantes: quae tam graves sunt tantoque cum dissensu a viris doctis tractatae, ut amplior de ea re mihi instituenda sit quaestio.

V. 296 sqq. Trygaeus auxilia ad liberandam Pacem ita advocat:

ἀλλ' ὦ γεωργοὶ κἄμποροι καὶ τέκτονες
καὶ δημιουργοὶ καὶ μέτοικοι καὶ ξένοι
καὶ νησιῶται, δεῦρ' ἴτ', ὦ πάντες λεῴ.

Procurrit chorus et laetos tollit clamores v. 301 sqq.:

δεῦρο πᾶς χώρει προθύμως εὐθὺ τῆς σωτηρίας.
ὦ Πανέλληνες, βοηθήσωμεν, εἴπερ πώποτε.

Et re vera ex compluribus Graecorum civitatibus homines advenisse ex eo loco manifestum est, quo Trygaeus Athenienses et Lacedaemonios commemorat atque Boeotos, Megarenses, Argivos, quod segniter trahunt, obiurgat. Tamen chorum a v. 508 solum ex agricolis Atticis constitisse apparet. Ac profecto antea mirum in modum videtur mixtus et compositus. Iam Stanger p. 31 sq. et Braeuning p. 15 sqq. hoc vitium, quod opinabantur, retractationi tribuerunt, sed rationibus satis infirmis. Nam priusquam talem suspicionem proferrent, accurate erat perscrutandum, nonne alio modo res explicari posset. Quod vero Beer (Über d. Zahl der Schausp. b. Ar. p. 160) duos semichoros esse arbitratus est, alterum agricolarum, alterum civium urbanorum, haec sententia nemini probabilis visa est. Rectam autem Richter in editione sua viam ingressus est ab agricolarum choro profectus. Primum enim cum in maiore parte fabulae chorus ex solis agricolis constet, agricolas per totam comoediam chorum solos effecisse, quicumque autem praeter eos nuncupantur, eos in choro non fuisse certum est. Itaque Richter chorum agricolarum Atticorum et parachoregema, quod dicunt, Lacedaemoniorum aliorumque fuisse statuit; neque vero sibi constitit, ut hac ad v. 560 adnotatione ostendit. 'Et chorum et παραχορήγημα ex agricolis constitisse apparet, admixtis alius generis civibus. Παραχορήγημα exit, dum Trygaeus loquitur v. 558—559, id est, opinor, propemodum agricolae omnes. Qui manent, et agricolae sunt et fabri'. Arnoldt deinde (Chorpartieen b. Ar. p. 55) res dubias radicitus eliminare conatus paracho-

regema non adfuisse, ne mutas quidem personas — 'ein stummes und dummes παραχορήγημα' — sed omnes, qui praeter agricolas nominarentur, inter spectatores esse dixit. Sed longius eum, quam licet, prodiisse sano iudicio Ruppersberg mihi videtur probavisse. Id solum atque id libentissime illi concedimus, v. 296 sqq. spectatores non dici non posse, quia poëta omnes enumerat, quos scimus Dionysiis magnis comoedias spectavisse, cives Athenienses metoecos socios hospites [1]). Sed cur vocem, quae est Πανέλληνες, ne Ruppersberg quidem ad Lacedaemonios ceterosque in scaena versantes, sed ad spectatores referat, non video. Res ita, opinor, se habuit: v. 301 agricolarum chorus et simul mutae personae accurrunt — nam parachoregema poëtam adhibuisse non est cur putemus — agricolae autem se ipsos et ceteros Πανέλληνας nuncupant. In quibus personis singulas civitates vestitu et habitu distinctas fuisse consentaneum est, ut Megarenses, de quibus haec dicuntur v. 482 sq.:

γλισχρότατα σαρκάζοντες ὥσπερ κυνίδια,
ὑπὸ τοῦ γε λιμοῦ νὴ Δί' ἐξολωλότες

et Lamachus atrociter et bellice exornatus v. 474

οὐδὲν δεόμεθ', ὤνθρωπε, τῆς σῆς μορμόνος.

Deinde his verbis v. 539 sq.:

οἷον πρὸς ἀλλήλας λαλοῦσιν αἱ πόλεις
διαλλαγεῖσαι καὶ γελῶσιν ἄσμεναι

fingi Trygaeum et Mercurium ex caelo urbes conspicere Ruppersbergio adstipulor.

Ea autem, quae sunt v. 503 sqq., quamquam Athenienses quoque cives in mutis personis fuerunt, tamen ad spectatores potius quam ad illos pertinere videntur:

---

1) Si feminae adfuissent, certe comicus eas quoque invocasset. Quarum cum ratio non habeatur, haud scio an hoc quoque loco uti possimus, ut Paci in scaenam commissae feminas non adfuisse demonstremus.

καὶ τοῖς Ἀθηναίοισι παύσασθαι λέγω
ἐντεῦθεν ἐχομένοις, ὅθεν νῦν ἕλκετε·
οὐδὲν γὰρ ἄλλο δρᾶτε πλὴν δικάζετε.
ἀλλ' εἴπερ ἐπιθυμεῖτε τήνδ' ἐξελκύσαι,
πρὸς τὴν θάλατταν ὀλίγον ὑποχωρήσατε.

Sed cum eorum versuum argumentum minus clarum sit, liceat mihi, quid de eo censeam, proferre. Δικάζετε vocem puto non tam ad Atheniensium inter se litigandi furorem quam ad pacis leges tum inter eos et Lacedaemonios tractatas spectare. Atque πρὸς τὴν θάλατταν male traditum videtur, nam exspectamus πρὸς τῆς θαλάττης vel ἀπὸ τῆς θαλάττης, ita ut secundi scholii auctor sensit, qui haec adnotat ad v. 507: καθ' ὃ ἐπιβαίνοντες ἔτεμνον τὴν Λακωνικὴν καὶ τὴν ἄλλην Πελοπόννησον. ἀποχωρεῖτε οὖν, φησί, καὶ ἀποπλέετε εἰς τὰ ἴδια καὶ ὀλίγον τῆς κατὰ θάλατταν βίας ἔνδοτε. ἐθαλασσοκράτουν γὰρ τότε. Et videmus profecto Thuc. V 18 Athenienses Lacedaemoniis Coryphasium Cythera Methana Pteleum Atalantam reddidisse, quae omnes ad mare sitae sunt.

Cognoscimus igitur in Pace chorum agricolarum exstare adiunctis mutis personis, quae cum illis procurrunt, Paci liberandae aut obstant aut non adsunt, v. 466—508 paulatim se recipiunt.

Fusius loqui de Braeuningii quadam dubitatione, quam adhuc non absolutam esse censeo, mihi propositum est. Cohaeret arte cum controversiis ad res scaenicas pertinentibus. Cum enim choreutae et ceterae personae a Mercurio iussi v. 426 sq.:

ἀλλὰ ταῖς ἄμαις
εἰσιόντες ὡς τάχιστα τοὺς λίθους ἀφέλκετε,

nihilo setius scaenae domum non invadant, quod est εἰσιέναι, Braeuning p. 19 sq., utpote qui Pacem retractatam nos habere ratus sit, in prima recensione agricolas proscaenium reliquisse, in secunda rem egisse ante spectatorum oculos

sibi persuasit. Quam sententiam ut redarguamus, primum nobis quaerendum est, ubi Pax extrahatur atque ubi chorus in ea extrahenda versetur. Iam si rerum scaenicarum, quales fuerunt antiquis temporibus, minus rationem habemus, fabulam legentes rem ita ante oculos nobis ponimus, ut Kanngiesser (Kom. Bühne p. 148 sqq.) commendavit eo tempore, quo veterum theatrum satis ignotum erat: Trygaeus ad deorum regiam in caelum tollitur, quod superiore quodam pulpito effici putandum est: ubi Trygaei clamore commoti Pacis vindices prodeunt opusque suum perficiunt. Quae res, si apparatus scaenicos nobis notos perlustramus, in eo tantummodo pulpito actae esse possunt, quod dicitur *διστεγία*. Cum tamen in illo singulas vel paucissimas simul personas apparere posse constet, choreutae autem et mutae personae cum Trygaeo et Mercurio numerum circiter quinquaginta hominum effecerint, illa sententia mittenda est, nisi forte ad Pacem docendam magnum pulpitum superius plane extra ordinem aedificatum esse existimemus. Neque Schoenbornii (Skene der Hellenen p. 334 sqq.) explicatio cuiquam placuerit, qui rem in tecto domus scaenae agi arbitratur: Iovis regia spectatores latet, Mercurius v. 180 ad marginem tecti progreditur, cum Trygaeo locutus recedit, deinde Polemus item prodit, denique omnes, quibus aliquid dicendum aut agendum est, progrediendo demum apparent; chorus autem advocatus ex orchestra ad proscaenium ascendit et fune a Trygaeo supra ad saxa alligato et ad eum demisso saxa et statuam trahit. Sed primum in scaenae tecto quidquam agi per se minime verisimile est, deinde cum in superiore scaenae parte certe apparatus quidam ad machinas recipiendas trabibus exstructus paulum pro scaenae domo promineret, planum locum agendi non praebuerit. Similiter Richter funem demissum, scilicet ex 'episcaenio', chorum prehendere opinatur, quia autem chorus nusquam nisi in orchestra saltare — saltat enim v. 320 sqq. —

neque unquam eam relinquere possit, per totam comoediam in ea manere contendit, comites autem, quos dicit παραχορήγημα, cum choreutis in orchestra prodire, funes falces ligones apportare, dum Mercurius captetur, ad pulpitum ascendere, funem, cuius alterum finem chorus teneat, ad Trygaeum mittere, denique opere confecto supellectilem choreutarum v. 730 secum ducere. Sed Richter hoc modo poscere cogitur, ut εἰσιέναι idem esse atque ἀναβαίνειν credamus. At nullo modo idem est, neque Richter explicare potest, quemadmodum illi ligonibus locum superiorem petant. Quas difficultates van Velsen (Zeitschr. f. Gymnasialwesen XIX p. 751) in recensione editionis Richteri removere ita conatus est: complures choreutae supra apud Trygaeum egressi funem alligant et ligonibus summovent. Quod nihil est nisi refugium interpretis; de tali ratione poëta nihil dicit. Reliquum autem chorum v. Velsen item atque Richter in orchestra manere indeque funem trahere statuit. At nullo modo mihi persuadere possum Aristophanem speciem illius spectaculi ita laesisse, ut spectatores credere iuberet ingentia saxa (v. 224 sq. ὁρᾷς ὅσους ἄνωθεν ἐπεφόρησε τῶν λίθων) in superiore loco posita tam incommoda ratione ex inferiore amoveri, quin etiam statuam, quae in caeli profunda fovea abscondita esset, ab hominibus extrahi, qui non in caelo sunt, ne in terra quidem, sed — hic ex omnibus opinionibus deicimur — in orchestra! Nam orchestram et hyposcaenium ornatu scaenico caruisse constat. Atque ipsi illi interpretes nonnulla inesse concedunt, quae spectatorum cogitationes offendant, sed mihi oculos ipsos laedere videntur. Sunt quidem, praecipue in comoediis, res, quae a specie veritatis procul versantur, sed exstant certi fines, quos poëtam transire non decet. Quamquam talia demonstrari minus quam sentiri possunt. Neque multo probabiliora Enger ('Rhein. Mus.' 1854 p. 577 sq.) et Ruppersberg (p. 18) proferunt, qui cum chorum et comites

foveae appropinquare intellegant, eam in proscaenio vel in orchestra esse ducunt. Sed utraque ratione res scaenica pervertitur. Secundum Ruppersbergii opinionem fovea, quae in caelo esse fingitur, iuxta Trygaei domum conspicitur, secundum Engerum etiam sub Trygaei domo. Sed omnino, quod illi nos credere iubent, statuam fune per rotulam ducto ad Trygaeum Mercuriumque sursum evehi et ab iis evehi, qui gaudent Pacem penes se habere, id improbare necesse est.

Quibus rebus perpensis intellegimus fieri non posse, quin Iovis regia Mercurius Trygaeus et choreutae comites antrum in eodem loco fuerint. Atque re vera Trygaei verba v. 309 sqq., qui metuit, ne chorus clamando et saliendo Polemum excitet multo minus explicantur, si choreutae, dum ille in superiore loco versatur, orchestram sive proscaenium strepitu implent, quam si ad ipsam Polemi portam ea geruntur. Deinde iis rebus in caelo gestis praeter antrum non minus quam quattuor portae poscuntur; nam Mercurium diversum a Polemi domicilium habuisse verisimile est, certe autem Polemo et Cydoemo Athenas et eidem Spartam abeunti singulis portis opus est. Neque vero unquam sive in tragoediis sive in comoediis in superiore quodam scaenae loco complures portas adhiberi invenimus. Denique argumentum quoddam e silentio, quod dicunt, haustum non spernendum fuerit. Trygaeus enim et Mercurius multum cum choro colloquuntur, qui si in inferiore quam illi loco stetisset, valde mirum esset, quod ut in chori ita in illorum verbis ne tenuissimum quidem absconditissimumque vestigium eius condicionis indagatur. *Εἰσιόντες* autem, ut ad Braeuningii scrupulos veniamus, nihil significat nisi 'ingressi antrum'. Quo autem loco ea gerantur, id praedicare vix necesse est. Nam in edito quodam pulpito agi non potuisse vidimus, in orchestra non licere nemo negaverit, nisi quis forte Hoepkenio (De theatro Attico sae-

culi a. Chr. quinti) assentiatur, qui omnia in orchestra omnino agi demonstrare suscepit. Reliquum est proscaenium. At nonne Trygaeus v. 80 sqq. sursum advehitur? Qua de re Geppert (Altgriech. Bühne p. 167) et Niejahr (Quaest. Ar. scaen. p. 20 sqq.) recte iudicaverunt Trygaeum fingi sursum vehentem. Atque ille quidem v. 154—172 scaenam ita mutatam esse dicit, ut parapetasma, in quo Trygaei domus et suile picta erant, demitteretur, aliud Iovis regiam ceteraque praebens succederet. Contra quae Schoenborn haec monet p. 343: 'Dazu kommt, dass diese Scenerie dennoch nötigt ... während der folgenden Parabase die Skene von neuem in das Haus des Trygaeos sich umwandeln zu lassen ... und der Beweis, dass eine eben dagewesene (sed 530 vv. intersunt) Scenerie der Skenenfront alsbald von neuem gebraucht worden ist, fehlt'. Quas rationes nihili esse unusquisque concedat, quamquam, quousque veteres in rebus scaenicis speciem veritatis servarint, facile expediri non potest. Sed quod Niejahr scaenam omnino non mutatam esse existimat, non ita probabile est. Athenienses enim cum constet iam illis temporibus artificiosas habuisse machinas, ut ἐκκύκλημα, μηχανήν, χαρωνείους κλίμακας, περιάκτους, cur illo loco proscaenii speciem aliquo modo non mutaverint, non intellego. Sed dixerit quispiam: 'Si Trygaeus sursum non tollitur, cogimur, ut eum postea cum dea in orchestram descendere opinemur.' Geppert quidem ad hanc sententiam adductus est, sed iniuria. Namque id quidem Schoenbornium rectissime puto vidisse orchestram esse locum actoribus scaenicis fere negatum. Quod autem v. 725 sq. haec sunt:

ΤΡΥ. πῶς δῆτ' ἐγὼ καταβήσομαι; ΕΡΜ.
θάρρει, καλῶς·
τῃδὶ παρ' αὐτὴν τὴν θεόν.

nempe Trygaeus per eum portam abiit, quae Athenas versus ducit et per quam Pax ante eum amota est, ut deinde in

terram descendere videretur. Nam quod in reliqua fabulae parte nunquam statua commemoratur, eam non amplius in scaena esse licet putare. Scholiastae autem ad illos versus de Minervae statua adnotationem praetermittimus.

Quae quamquam bene cogitari possunt, tamen Engero fieri non posse videbatur, quin Trygaeus ad locum editum quendam evehatur. Quod colligendum esse primum ex v. 80 sq.:

ὁ δεσπότης γάρ μου μετέωρος αἴρεται
ἱππηδὸν εἰς τὸν ἀέρ' ἐπὶ τοῦ κανθάρου.

Sed ea locutus videlicet non nisi super murum suilis surgit, tum autem statim scarabaeum ita retinet:

ἥσυχος ἥσυχος, ἠρέμα, κάνθων·
μή μοι σοβαρῶς χώρει λίαν
εὐθὺς ἀπ' ἀρχῆς ῥώμῃ πίσυνος,

neque donec cum servo et filiabus colloquitur, altius ascendit. Deinde autem Trygaei verba, quae sunt v. 173 sq.:

οἴμ' ὡς δέδοικα κοὐκέτι σκώπτων λέγω.
ὦ μηχανοποιέ, πρόσεχε τὸν νοῦν ὡς ἐμέ

intellegi non posse censet, nisi ille alte supra proscaenii pulpitum penderet. Qua ratione melius quidem ea verba explicari multum abest ut negem, sed cum Trygaeum ita evehi nequaquam scaena patiatur, eam sententiam usurpemus necesse est, quae paulo minus placet, sed quae non displicet. Nam si scarabaeus cum Trygaeo aliquanto a pulpito exsurgit, tum ad metrum anapaesticum sursum ac deorsum movetur, ut speciem volandi praestet, deinde dum neque in terra neque in caelo consistit, scaena mutatur, Trygaeus autem ut alte suspensus valde perterritum se gerit et ridicule opificem machinam gubernantem, ut sui habeat rationem, invocat, non nimium, opinor, a spectatorum cogitatione poscitur.

Sed occurrit nobis quaestio tam gravis quam difficilis: liceatne choro proscaenium intrare. Quamquam enim ratio-

nes ex ipsa fabula petitae id permissum esse declarant, tamen cum in universum scaena actorum, orchestra chori esse videatur, dixerit quispiam hunc orchestra non cessisse, sed gestibus magis quam manibus rebus in proscaenio gestis interfuisse; ut Arnoldt p. 156 dicit: 'wenigstens kann in den Wespen an den behaupteten Marsch von der Orchestra und dann wieder in die Orchestra zurück, der schon an und für sich seine Bedenken hat und für die erhaltenen Stücke des Komikers durchaus bestritten werden muss, in keiner Weise gedacht werden' et Richter: 'Sane vero, modo chorum orchestram relinquere sive solere sive posse demonstres'. Quibus si credimus, in omnibus comoediis proscaenium choreutis videtur negatum. Atque in Pace chorum in illo versari nobis persuasimus. Ergo contendi potest eam Pacis recensionem, quam nos manibus terimus, ita instructam retractatione esse, ut in scaena agi non possit. Cogimur igitur, ne talia credantur, ut, quemadmodum res se habeat in ceteris comoediis, perscrutemur. Quae quidem a veteribus grammaticis traduntur, certam rationem non reddunt. Pollux enim ex orchestra ad pulpitum ascendi his verbis dicit: *εἰσελθόντες δὲ κατὰ τὴν ὀρχήστραν ἐπὶ τὴν σκηνὴν ἀναβαίνουσι διὰ κλιμάκων*, sed nescimus num ea et ad tragoediam et ad comoediam, num ad comoediam saeculi quinti spectent; ignoramus, utrum de choreutis an de actoribus loquatur et ultro haud dubium est, quin singulares conditiones commemorentur, scil.: si in orchestram ingrediuntur atque si scaena occupanda est, scalis utuntur. Scholiastae autem ea, quae e poëtae verbis ipsi colligunt, in adnotationibus tradere videntur rebus scaenicis accuratius non cognitis. Itaque nobis quoque ad ipsarum comoediarum argumenta et verba, quae pertinent ad nostram quaestionem, refugiendum est.

Atque, ut statim quaestionis finem praedicam, mihi sic indicandum videtur: chorus comicus in omnibus Aristopha-

nis comoediis in scaena prodit, aliquamdiu ibi versatur, ante parabasin in orchestram descendit.

Sed ne temere novam sententiam proponere videar, antequam perlustrem singulas comoedias, de omnibus mihi quaedam monenda sunt. De his quidem rebus hodie viri docti consenserint: Aristophanis comoedia ex tribus partibus constat, parte epirrhematice, ut dicunt, composita, parabasi, parte episodica. Atque Zielinski l. l. p. 184 sqq. parabasin priscae comoediae epilogum fuisse et tertiam partem posterioribus temporibus paulatim adiunctam esse probavit, neque iam quisquam dubitaverit, quin primae partis trimetri item aetate inferiores sint quam tetrametri, hi autem priscam comoediam effecerint. In qua cum nullus vel unus histrio fuerint, chorum maximam partem ipsum egisse consentaneum est. Fabula peracta deinde atque personis et vestibus comicis exutis — quod est ἀποδῦναι — choreutae e loco suo processerunt — quod est παραβῆναι — epilogumque locuti sunt. Iusta ratione ex hoc ludo ea, quam habemus, comoedia Attica antiqua videtur orta. Chorus iam inde a parodo eodem modo agit atque actores et rebus in scaena gestis non modo gestibus clamore minis, sed ipsis manibus et corporibus interest; postquam autem alii actores in scaena accesserunt, qui inter se soli rem agere possunt, locum agendi ut priscis temporibus opere suo confecto relinquit, in orchestram proficiscitur. Ita parabasin agens in orchestra versatur; in reliqua, scil. nova comoediae parte ut in tragoedia tantummodo inter singula acta, quemadmodum commoveatur rebus ab actoribus gestis, patefacit, scil. gaudium sive maerorem, misericordiam sive odium, denique iudicium suum aperit.

Porro reputandum est scaenam omni apparatu exornatam, sed orchestram omnibus iis rebus orbam fuisse, quae certum locum spectatoribus cogitandum indicent, itaque

actores semper in proscaenio partes suas egisse verisimile esse, sed etiam chorum, ubi agendo rebus gestis interest.

Itaque nunc Aristophanis comoedias perlustremus.

I. Acharnenses. Amphitheus pacem a Lacedaemoniis adeptus rediens per Acharnas venit. Acharnenses autem pacis inimici odore ducti eum sequuntur, ut lapidibus profligent. Amphitheus nimirum per eam portam, quae in externas terras, itaque in Lacedaemoniorum quoque fines ducit, v. 175 in scaena apparet. Brevi post cum chorus eum subsecutus procurrat, nonne multo verisimilius est eum per eandem portam atque Amphitheus, quam per orchestrae parodum prodiisse? Deinde Dicaeopolidem cum pace quidem, sed sacrificantem simulatque conspexit, silentio recedit v. 239 sqq.:

οὗτος αὐτός ἐστιν, ὃν ζητοῦμεν. ἀλλὰ δεῦρο πᾶς
ἐκποδών.

Iniuria puto A. Muellerum (Lehrb. d. griech. Bühnenaltertümer p. 135 a. 2) censere Acharnenses post ea verba e thymela [1]), orchestrae pulpito, descendere seque muro abscondere. Neque enim nisi chorus in ipso proscaenio erat, dicere poterat sese ire *ἐκποδών*. Sed Dicaeopolidis pompa appropinquante recedit ad parascaenia. V. 280 autem sibi imperare amplius non potest, in illum invehitur et lapides sive potius carbones conicit cum clamore et minis. Dicaeopolis vero cum verbis se defendendo nihil proficiat, Acharnensi cuidam corbem carbonibus plenum, quasi puerum illi carissimum, ut obsidem eripit. Novum ad nostram sententiam confirmandam argumentum; nam Dicaeopolidem in orchestram decurrere indeque corbem surripere aut eum ex proscaenio prehendere minus credibile est. Tum postquam indutiis factis rem suam apud Acharnenses gessit, semichori dissen-

---

1) Quod orchestrae pulpitum non exstitisse Petersenio (Wiener Stud. VII p. 175 sqq.) credere malo.

sione exorta manus inter se conserunt, ii autem, qui Dicaeopolidi inimici sunt, circumiti et repulsi Lamachum auxilio vocant. Quo loco quamquam syntagma, quod dicunt, intercidisse videtur — de qua re alio loco dicam —, tamen duas res colligimus: primum enim chorum usque ad id tempus in scaena esse, quod pugna in orchestra vix committatur; deinde alterum semichorum post v. 565 in orchestram fugere, alterum subsequi, quia, postquam Lamachus rem contra Dicaeopolidem gerendam suscepit, ut diutius adesset, necesse non erat. Ad extremum in initio parabasis, cum dicant:

ἀλλ' ἀποδύντες τοῖς ἀναπαίστοις ἐπίωμεν,

corbes, quibus carbonarios eos esse cognoscebatur, seponunt. Quos a servis theatri ablatos esse Pacis parabasi probatur, ubi haec sunt v. 729 sq.:

ἀλλ' ἴθι χαίρων· ἡμεῖς δὲ τέως τάδε τὰ σκεύη παραδόντες
τοῖς ἀκολούθοις φῶμεν[1]) σῴζειν κτλ.

Namque qualis chorus esset, habitu vel attributis indicari debebat, post parodum non iam necesse erat.

II. Equites. A Demosthene vocati equites, quos equis vehi Zielinskio (p. 63) vix quisquam crediderit, procurrunt, Cleonem petunt et, ne evadat, circumeunt, quod nisi in scaena fieri non potuit. Neque enim quod v. 253 Demosthenem adhortantur: εὐλαβοῦ δὲ μὴ 'κφύγῃ σε, concludere licet illum et isiciarium portas scaenae custodivisse, sed monent Demosthenem, ut Cleonem teneat, donec ipsi portas occupaverint. Accedit, quod pluribus quam duabus portis opus est, Schoenborn quidem quinque poscit. Certa autem res his chori verbis fit 271 sq.:

ἀλλ' ἐὰν ταύτῃ γε νικᾷ, ταυτηὶ πεπλήξεται·
ἢν δ' ὑπεκκλίνῃ γε δευρί, τὸ σκέλος κυρηβάσει.

---

1) Meineke.

Itaque equites portas custodiunt usque ad v. 481, ubi ad tempus contenti eum dimittunt. Deinde postquam v. 490 sqq. isiciario unguentum et alium porrexerunt, ad parabasin descendunt.

III. Vespae. Vesparum chorus ad Bdelycleonis domum unoquoque modo, ne Philocleo ad ius dicendum erumperet, clausam accedit, ut hunc secum ducat. Atque cum nocte nondum confecta iam proficiscatur, a pueris lucernas portantibus ducitur, quibuscum colloquitur, quos increpat et ferit; neque v. 257—316 ullus actor in scaena est, ita ut chorus solus aliquamdiu rem agat. Quae omnia si in orchestra geri potuerint, tum totas fabulas ibidem agi licuerit neque omnino scaena opus erat. Quid pueris illis cum orchestra? Iam vero mirum esset chorum et pueros de lapidibus et luto dicere, non autem in proscaenio esse, quod domos et urbis viam ostendit, sed in orchestra non exornata. Atque quam speciem veritatis praebuissent, si Bdelycleonem deinde eiusque servos ab inferiore parte aculeis suis petivissent. Ultro etiam Xanthias eos ferit fumoque repellit; neque vero fumus deorsum se diffundere solet. Imprimis autem quod Bdelycleo v. 461 hoc loquitur:

ἀλλὰ μὰ Δί' οὐ ῥᾳδίως οὕτως ἂν αὐτοὺς διέφυγες κτλ.

quo fugerint, rogo, nisi e proscaenio in orchestram? Quo facto eos impetum non iam fecisse consentaneum est, et re vera primo obiurgatione contenti sunt, deinde Philocleoni rem contra Bdelycleonem gerendam committunt. Pueri autem iam v. 407 a vespis per scaenae portam, ut Cleonem arcessant, dimissi sunt, ita ut, quod legitimum est, in orchestra nemo nisi choreutae sit.

IV. Aves. Quod avibus in conspectum venientibus Pithetaerus dicit v. 296:

οὐδ' ἰδεῖν ἔτ' ἔσθ' ὑπ' αὐτῶν πετομένων τὴν εἴσοδον,

plerique chorum per parodum apparere persuasum habuerunt. Sed demonstrato aliquis, qua de causa *εἴσοδος* scaenae adi-

tus esse non possit. Quod ne tum quidem credere opus esset, si poëta voce πάροδος usus esset, quam etiam proscaenii portas significare posse e Plut. Demetr. 34 (διὰ τῶν ἄνω παρόδων) patet. Atque scholiastae testimonium, qui rem ita explicat: εἴσοδος δὲ λέγεται, ᾗ ὁ χόρος εἴσεισιν εἰς τὴν σκηνήν, quamquam nostram sententiam confirmat, tamen parvi ducendum esse concedo; certe autem ex eo contrarium colligere non licet, ut Mueller p. 60 a. 4 ad eius verba adnotat: 'σκηνήν natürlich für ὀρχήστραν'. Sed chorum, postquam exiit, in proscaenio esse sequentibus perspicuum est: aves enim eodem modo Pithetaerum et Euelpidem opprimunt, quo equites Cleonem et Vespae Bdelycleonem et Xanthiam, retinentur autem ab upupa. Pithetaerus (secundum plerosque codices) autem sive praeco quidam avium chorum ita alloquitur v. 448 sqq.:

ἀκούετε λεῴ· τοὺς ὁπλίτας νυνμενὶ
ἀνελομένους θὤπλ' ἀπιέναι πάλιν οἴκαδε,
σκοπεῖν δ' ὅ τι ἂν προγράφωμεν ἐν τοῖς πινακίοις.

Iam si aves in orchestra sunt, quid nunc faciant nisi abeant? Sed sequitur cantus earum et per totam reliquam fabulam adsunt. Parachoregema quidem in scaena non fuisse Arnoldtio adstipulor, sed si haec dicit p. 156: 'An jenen vier Stellen der Frösche, Wespen [1]), Vögel und des Friedens benehmen sich die Choreuten wie abgehende und gehen dennoch nicht von ihrem Standpunkte weg', incredibilia contendit. Aliter Wieseler (Advv. in Aesch. Prom. et Aristoph. Av. p. 36): Pithetaerus non aves alloquitur sed Euelpidem, exercitum quodammodo suum, quo facto recedit et arma deponit cum illo. Sed cum ambo loco non cedant aut in eum statim revertantur, ἀπιέναι autem in illis versibus 'omnino abire' significet, Pithetaeri vel potius upupae

1) In Vespis res plane diversa est: chorus dum advenit, ius dicere vult, sed Bdelycleonis orationibus ad aliam traductus sententiam ea, quae voluit, non efficit. Ranas autem et Pacem postea tractabimus.

sive praeconis verba ad chorum pertinere apparet, qui deinde a proscaenio in orchestram proficiscitur. Cum enim syntagma inter upupam et Pithetaerum actum sequatur, chorum in scaena adesse non necesse est, et quia moneri nequit, ut in orchestram descendat. id facere specie domum abeundi iubetur. Verum Wieseler l. l. probare studet illas, quae primae intrant, aves, scil. *φοινικόπτερος*, *ἀλεκτρυών*, *ἔποψ*, *κατωφαγᾶς* musicos fuisse. Quos in orchestra apparuisse cum consentaneum sit, nobis, si Wieselerum sequimur, concedendum etiam est chorum ibidem intravisse. Iam quod longum est singulas rationes Wieseleri perlustrare, unum proferam, quod, ut illae refellantur, satis grave fuerit. Quis enim unquam crediderit Aristophanem, si musicos avium habitu induere voluit, tales aves elegisse, qui canere non possunt? Neque enim gallus et upupa canunt, ceterorum autem nomina vix, ut aves cantrices habeantur, permittunt. Neque ullo verbo demonstratur eas canere, nisi forte *μουσόμαντις* cognomen gallo gallinaceo attributum id ostenderit. Immo musicum, quem solum fuisse verisimile est, lusciniae persona indutum iam v. 203 cognoscimus: in parascaeniis tibiis cantat, v. 660 prodit et in orchestram, ut ad parabasin canat, descendit. Chaeris autem, malus tibicen, ut eludatur, corvi habitu exornatus inducitur v. 858. Videmus igitur illas aves non musicos esse, sed mutas personas scaenicas, quae ante chorum proscaenium intrant.

V. Lysistrata. Cum chorus ex duobus semichoris per totam paene fabulam inter se oppugnantibus constet, paulo diversi eius motus sunt ab iis, quos ceterarum fabularum chori faciunt. Iam initio non totus chorus, sed duodecim senes apparent. Eis in animo est propylaea, quae scaenae parapetasma conspectui praebet, incendere, atque quod v. 312 (*θώμεσθα δὴ τὸ φορτίον*) ollas prunis plenas cetera deponunt, videlicet eos ad portam ipsam progressos eam incendendam aggredi, itaque in scaena esse. An in

orchestram proficiscantur, ibi maneant, portae, cui ignem inferre volunt, non appropinquent? Multo magis autem feminas opus est, cum ex arce exeant, in scaena prodire. Quod scholiasta ad v. 321 opinatur senum semichorum in orchestra, mulierum, ut aquam in illos fundere possent, in scaena fuisse, vanum esse Enger (Rhein. Mus. XLV p. 302 sqq.) recte monet. Deinde post breve certamen verbis gestum feminae senes aqua perfusos repellunt. V. 387 autem cum probulus adveniens senes non statim alloquatur, senes eum deinde et Scythas in vinciendis feminis non adiuvent, haud dubium est, quin feminarum impetum fugientes in orchestram cesserint. Quae v. 387—471 non memorantur, v. 471 autem adsunt, postquam brevi ante v. 456 Lysistrata clamavit:

ὦ ξύμμαχοι γυναῖκες, ἐκθεῖτ᾽ ἔνδοθεν κτλ.

Quid igitur evidentius, quam eas v. 386 senum in propylaea impetu repulso in arcem revertisse, deinde cum Lysistrata eiusque comites opprimerentur, iterum procucurrisse[1])? Con-

---

1) Mirum fortasse videatur cuipiam, quod eo loco modo progressae non prius verba faciunt quam senes. Sed v. 467—470 admodum interpolationem resipiunt. Nam quo spectant ea verba, quae sunt: *ὦ πόλλ᾽ ἀναλώσας ἔπη*? In antecedentibus quidem probulus nonnisi imperat vel clamat, ad pauca autem illa verba v. 465 sq.:

νὴ τὸν Ἀπόλλω καὶ μάλα
πολλήν γ᾽, ἐάνπερ πλησίον κάπηλος ᾖ

referri non possunt. Tum viri probulo v. 469 sq.:

οὐκ οἶσθα λουτρὸν οἷον αἴδ᾽ ἡμᾶς ἔλουσαν ἄρτι
ἐν τοῖσιν ἱματιδίοις κτλ.

hoc ut aliquid novi nuntiant, quod isdem fere verbis iam v. 400 sq. ei narraverunt:

αἳ τἄλλα θ᾽ ὑβρίκασι κἀκ τῶν καλπίδων
ἔλουσαν ἡμᾶς, ὥστε θαἰματίδια κτλ.

Tum v. 471 sq.:

ἀλλ᾽, ὦ μέλ᾽, οὐ χρὴ προσφέρειν τοῖς πλησίοισιν εἰκῆ
τὴν χεῖρ᾽· ἐὰν δὲ τοῦτο δρᾷς, κυλοιδιᾶν ἀνάγκη

multo aptius ad probulum referuntur, qui feminas cum sagittariis aggressus vapulavit, quam ad senes aqua perfusos. Accedit, quod senes

cedendum sane est in hac fabula singularem chori, cum aliquamdiu alter semichorus in orchestra, alter in scaena sit, condicionem exstare, sed poscitur diverso eorum munere. V. 539 feminae quoque orchestram petunt his verbis:

ἀπαίρετ', ὦ γυναῖκες, ἀπὸ τῶν καλπίδων, ὅπως ἂν
ἐν τῷ μέρει χἠμεῖς τι ταῖς φίλαισι συλλάβωμεν.
ἐγὼ γὰρ ... οὔποτε κάμοιμ' ἂν ὀρχουμένη.

Quo confirmatur senes iam antea illic fuisse; eadem autem verba Zielinski rectissime intellegere mihi videtur, qui inter probuli certamen v. 484—538 senes, mulieres inter Lysistratae v. 548—607 saltare existimat. Et feminas in scaena per totam fabulam mansisse v. 823 et 1014 sqq. probari, quos Schoenborn p. 300 profert, iure Enger l. l. reicit. Postremo haud praetermittendum est, quod in senum parodo v. 288 τὸ σιμὸν Niejahrio l. l. scalae inter orchestram et proscaenium positae videntur esse, chorus igitur in orchestra intrasse et postea demum ascendisse. At puto eos illum locum acclivem simulavisse. Nam re vera hic erat ante propylaea, sed in scaena effingi vix potuit.

VI. Thesmophoriazusae. Priusquam in chori motus inquiramus, praemittendum est, num fabula ea, quam nos habemus, forma docta sit, dubium esse. Sed etiamsi chori carmina a poeta non perfecta sint, tamen et dialogus et ordo rerum gestarum ita instituti mihi videntur, ut sine offensione fabula in scaena agi potuerit. Quae si recte se habent, Thesmophoriazusarum chorus bene sententiam nostram confirmat. — Usque ad v. 279 domus Agathonis conspicitur, ab illo versu scaena alia est: videmus interiorem templi Themophoriorum partem. Itaque eo loco Euripide et Mnesilocho digressis scaena mutatur, id quod scholiasta ad a. 277 his verbis adnotat ἐκκυκλεῖται ἐπὶ τὸ ἔξω τὸ

---

bis, feminae semel loquuntur. Ad extremum dubito, num illa languida πρόβουλε τῆσδε τῆς γῆς et καὶ τοῦτο ἄνευ κονίας Aristophanis sint. Quibus omnibus de causis v. 467—470 eliminandi videntur.

θεσμοφόριον. At Schoenborn p. 303 ea machina totum templum promoveri non posse recte dicit; sed ne parapetasmate quidem mutato et periactis versis res effici potuit. Thesmophoriazusas enim subito videmus in templo sedentes, parodus autem vel verba, ex quibus earum adventum concludamus, plane desunt. Quid igitur probabilius est, quam choreutas, dum prima scaena agebatur inter Euripidem et Mnesilochum et Agathonem ante parietem quendam medio fere in proscaenio positum, pone eum consedisse, Musarum chorum cecinisse, deinde v. 279 pariete sublato apparuisse? In orchestra autem fieri non potest ut versentur, quippe cum ipsae *θεσμοφοριάζουσαι* sint et in templo esse debeant. Tum v. 655 inquirunt, num praeter Mnesilochum viri adsint. Quaerantne in orchestra? Nempe in templo ipso. Quod ultro v. 688 comprobatur, qui est:

οὐχ ὁρῶμεν γοῦν ἔτ' ἄλλον οὐδέν' ἐγκαθήμενον.

Ergo certum est primum in templo chorum quaerere, deinde, cum eum quoque sedisse colligamus, in orchestra non fuisse. Quis enim credat ibi sedilia posita esse? Iam post eundem versum chorus non amplius agit, ignem ipse accendere (v. 726 sq.) non vult, Mnesilochum non custodit, sed mulieri cuidam custodiendum permittit. Itaque cum post Mnesilochi orationem clamore orto Thesmophoria celebrari desita sint, et feminae, quod debuerunt — scil. viros, qui adessent, quaerere — confecerint, eas v. 688 in orchestram se contulisse perspicuum est.

VII. Ranae. Quaeritur, utrum chorus sit compositus ex solis viris parachoregemate feminarum adiuncto — nam feminas adfuisse e v. 444 apparet: *ἐγὼ δὲ σὺν ταῖσιν κόραις εἶμι καὶ γυναιξίν* — an ex viris et feminis. Hoc enim contra omnes priores opiniones Arnoldt p. 146 sqq. demonstrare suscepit his fere rationibus: ‘Compositio versuum 324—336 = 340—353, 372—376 = 377—381, 384—388 = 389—393 antistrophica chorum divisum esse in semichoros veterum et

minorum ostendit, sed v. 398—402 = 404—408 = 409—413 eundem videlicet in tres partes divisum exhibent, atque, id quod versuum argumenta docent, ita, ut primam illarum stropharum octo senes, secundam quattuor mulieres et quattuor virgines [1]), tertiam octo iuvenes canant'. Neque vero videmus, quanam de causa mares duas chori partes, feminae unam efficiant. Nec, quamvis Arnoldt adversus nitatur, dubitari potest, quin feminae v. 444 abeant. Nam quos invocat similes locos Vesparum et Avium eum non adiuvare iam vidimus, Pax postea tractabitur. Tamen iterum reputemus, quam perversum sit praedicari quidem feminas abire, nihilo secius eas manere! Atque feminas v. 598 in choro non esse Xanthias ostendit chorum sic allocutus:

οὐ κακῶς, ὦνδρες, παραινεῖτ'.

Cuius argumenti gravitatem quamquam Arnoldt spernit, tamen exempla non profert, quibus multitudinem quandam virorum et feminarum ἄνδρες vocari demonstretur. Ergo v. 444 [2]) feminae abeunt et cum abeunt, nihil nisi para-

---

1) Quas v. 403—408 praeter ordinem cecinisse quamquam per se bene cogitari potest, tamen tres illas strophas a legitimo virorum choro cantatas esse malo censere. Nam cum cetera carmina huius chori antichorica bipertita sint, unum tripertitum esse non probabile est. Neque quidquam in secunda stropha est, quod viri canere non potuerint. Hoc loco praetermittendum non est, me Droysenii versionem v. 404 sqq.:

Zerrissen hast du selbst mir ja zum Gelächter
Und Narrentheide meine Chorsandalen,
Mein Fetzenkleid —

non rectam ducere, immo κατεσχίσω significat: tibi scidisti soleas et vestem.

2) Cui v. 444 sqq. tribuantur, dissensio virorum doctorum est; codicum quidem indicia in ea parodo incertissima videntur. Atque Dindorf et Arnoldt Bacchi esse putant aeque ac v. 414 sq. Sed primum sermonis ratio elatior est (οὗ παννυχίζουσιν θεᾷ), quam qua Bacchus utatur, neque is dicere potest φέγγος ἱερὸν οἴσων, tum Xanthiae, qui linguam suam retinere nunquam potest, aliquam adnotationem deside-

choregema se esse declarant. Sed ne viros quidem in eodem loco mansisse eorum cantus patefacit, qui est v. 448:

χωρῶμεν ἐς πολυρρόδους
λειμῶνας ἀνθεμώδεις,
τὸν ἡμέτερον τρόπον,
τὸν καλλιχορώτατον,
παίζοντες, ὃν ὄλβιαι
Μοῖραι ξυνάγουσιν.

Quod autem post illud carmen semper in orchestra eum esse perspicuum est, profecto antea alio loco, in proscaenio, fuit. Itaque ut in Avibus chorus, cum descendit, se domum ire simulat, ita mystae in orchestram ut in deorum florida prata proficiscuntur. Quod Enger quoque (N. Jahrbb. f. Phil. LXXVII, p. 310) opinatur atque mystarum pompam ita procedere censet: apparent per parodum, in orchestra saltant, v. 416—430 pulpitum scaenae occupant, v. 444 feminae per scaenae portam abeunt, mares in orchestram revertuntur. Sed quis hanc itineris rationem probaverit: mulieres in orchestra prodeunt, in proscaenio abeunt, viri autem ascendunt — nescimus, qua de causa — deinde, cum dicant se ad prata ire velle, in eundem locum redeunt, unde profecti sunt. Quorum malorum remedium ut diu quaeramus, non iam necesse est: mystarum pompa ab initio

ramus. Sed quod Enger censuit sacerdotem, ducem feminarum, qui esset παραχορήγημα, illa verba facere, unum probabile videtur.' Iam nescio an schol. Equ. 589 ita explicetur, quod Arnoldt memorat: εἰ μὲν ἐξ ἀνδρῶν εἴη καὶ γυναικῶν ὁ χόρος, ἐπλεονέκτει τὸ τῶν ἀνδρῶν μέρος καὶ ἦσαν ιγ', αἱ δὲ γυναῖκες ια' κτλ. Namque assentior Arnoldtii verbis, quae sunt: 'Doch glauben wir der Wahrheit näher zu kommen, wenn wir die Notiz des Scholiasten durch einen speciellen Fall, in welchem die angegebenen Zahlen zutrafen, veranlasst und dann ungebührlich verallgemeinert erklären, was sich ja die alten Interpreten so oft zu Schulden kommen lassen.' Verisimile igitur est scholii auctori fabulam, fortasse hanc, in animo fuisse, cuius chorus e viris et feminis ita constitit, ut mulierum semichori dux vir esset, sacerdos sive alius. Quomodo efficiuntur tredecim, viri undecim feminae.

in proscaenio inducitur. Quod Bacchus et Xanthias confirmant, cum cantibus mystarum appropinquantibus recedunt verbis v. 315:

ἀλλ' ἠρεμεὶ πτήξαντες ἀκροασώμεθα.

Sed probamusne in proscaenio saltari? Mihi quidem certo quodam argumento demonstrari non videtur saltatum esse, et sacerdos dumtaxat de hymnis et odis loquitur. Atque si saltatur, paucos inter versus fit, v. 354—371. Restat, ut, quod Enger iam dixit, moneamus feminas, quibus poëta a v. 448 non amplius utitur, ideo inductas esse, ne a specie veritatis — nam sacris Eleusiniis nimirum feminae aeque ac viri interfuerunt — res nimis abesset.

VIII. Ecclesiazusae. Priusquam disceptamus, utrum chorus in scaena an in orchestra prodierit, in Arnoldtii de choro Ecclesiazusarum sententiam (p. 97 sqq.) nobis inquirendum est. Cum enim epiparodum (v. 478—503) inter singulos dispertiat atque choreutas non esse viginti quattuor, sed duodecim inveniat et alias difficultatibus quibusdam occurrat, Aristophani illo tempore dimidium tantum choreutarum datum esse ratiocinatur, quibus, ut defectus minus animadverteretur, additis duodecim mutis personis, scil. saltatoribus, ingeniose hoc modo usus esset: v. 30 saltatores perinde ac si semichorus feminarum urbanarum essent, quarum duci v. 30 sq. tantum et 285—288 dicendi sunt, in orchestram progrediuntur et v. 288 abeunt, v. 289 autem alter semichorus agrestium feminarum succedit, quarum partes legitimi choreutae, recitandi et canendi periti, agunt. Qui deinde semichorus per reliquam comoediae partem sub feminarum urbanarum specie cetera carmina chorica canit, mutae autem personae, quae antea urbanae erant, postea (v. 503 χαὖται γὰρ ἥκουσιν πάλαι τὸ σχῆμα τοὖτ' ἔχουσαι) in orchestra prodeunt, v. 509 (Lys.: καὶ μέντοι σὺ μὲν ταύτας κατευτρέπιζ') iustorum choreutarum vestes mutant, parabasin et stasima denique, quae desiderantur, sal-

tando compensant. Sunt etiam iidem, qui v. 1138 *μείρακες* appellantur. — Videamus num re vera haec e poëtae verbis elici possint. V. 276 sqq. quidem haec legimus:

(Praxagora loquitur) κᾆτα ταῖς βακτηρίαις
ἐπερειδόμεναι βαδίζετ' ᾄδουσαι μέλος
πρεσβυτικόν τι, τὸν τρόπον μιμούμεναι
τὸν τῶν ἀγροίκων. ΓΥ. Β. εὖ λέγεις· ἡμεῖς δέ γε
προΐωμεν αὐτῶν· καὶ γὰρ ἑτέρας οἴομαι
ἐκ τῶν ἀγρῶν ἐς τὴν πύκν' ἥξειν ἄντικρυς
γυναῖκας. ΠΡΑ. ἀλλὰ σπεύσαθ', ὡς εἴωθ' ἐκεῖ
τοῖς μὴ παροῦσιν ὀρθρίοις ἐς τὴν πύκνα
ὑπαποτρέχειν ἔχουσι μηδὲ πάτταλον.
ΧΟΡ. ὥρα προβαίνειν, ὦνδρες, ἡμῖν ἐστι. τοῦτο γὰρ χρή
μεμνημένας ἀεὶ λέγειν, ὡς μή ποτ' ἐξολίσθῃ
ἡμᾶς. ὁ κίνδυνος γὰρ οὐχὶ μικρός, ἢν ἁλῶμεν
ἐνδυόμεναι κατὰ σκότον τόλμημα τηλικοῦτον.

Sequitur illud *πρεσβυτικόν τι* (videas praecipue v. 302 sqq.). Tamen Arnoldt hoc eas, quibus mandatum erat, feminas cecinisse negat, sed illas, quae v. 281 sq. memorantur quaeque v. 289 sq. advenirent. Sed suam opinionem v. 300 firmari putat: 'V. 300

ὅρα δ' ὅπως ὠθήσομεν τούσδε τοὺς ἐξ ἄστεως
ἥκοντας.

beweist, dass der diese Stelle singende Chor Städter vor sich in die Volksversammlung wirklich, oder wenigstens für die Zuschauer, gehen sieht und sich bestimmt von diesen unterscheidet. Diese *ἄνδρες* können aber keine andern sein als die in Männer verkleideten Weiber aus der Stadt'. Minime; sed illa verba nequaquam offensioni sunt cum feminae nihil faciunt nisi quod facere iussae sunt: imitantur mores rusticorum, qui homines urbanos increpare solent. Neque video, cur illos *ἐξ ἄστεως ἥκοντας* a spectatoribus videri necesse sit. Vel si necesse ducas, Praxagoram eiusque

comites (ΓΥ. A et B, deuteragonista et tritagonista) praeeuntes a choro simulate urbanos haberi credas. *Αὗται* autem quae v. 503 dicuntur Praxagora prodeunte, quin eaedem comites sint, haud dubium est atque item apertum est illo loco eas mutas esse debere, quia ceteris histrionibus Blepyri et viri (v. 562) partes agendae sunt. Et qua de causa ad dialogorum intervalla explenda saltatoribus propriis opus erat, cum choreutae ipsi saltandi periti essent? Itaque indicia desunt, quibus iuxta legitimum chorum duodecim choreutarum mutas personas sive saltatores fuisse doceatur. Atque iustum illum chorum iam ante v. 285 adfuisse vidimus, neque quando intraverit, dubium: v. 30 mulier quaedam prodit, quam chori ducem esse Beerio (p. 104 sq.) assentior; sequuntur aliae feminae, quarum septem nuncupantur, '*χἄτεραι πολλαὶ πάνυ γυναῖκες*'. Quod si ad choreutas spectat, eos non duodecim, sed viginti quattuor esse declaratur. Sed cum in sequentibus novem feminae loquantur, diverse cogitari licet: aut Ecclesiazusarum chorus per parodum advenit, aliae per scaenae portas: quod si probamus, putandum est Ecclesiazusas partim in scaena sedere (v. 57 alias), partim in orchestra stare — nam in orchestra sederi vix fuerit, qui credat —, deinde Praxagoram et illas feminas ad contionem per scaenae portam abire, chorum in eundem locum per aliam portam, parodum, quae omnia minime verisimilia sunt. Aut chorus in proscaenio prodit, complures choreutae pauca loquuntur, praeter eum nemo adest nisi Praxagora cum duabus comitibus, quibus maiores partes erant agendae. Hoc profecto multo probabilius fuerit atque iam Schoenbornio ita visum est. Et certum fit viginti quattuor choreutas fuisse neque semichorum saltatorum; explicatur autem optime, cum Lysistrata comites chorus in eodem loco sint, v. 509 sq.:

καὶ μέντοι σὺ μὲν ταύτας κατευτρέπιζ',

quod nimirum Lysistrata alteri comitum imperat. Res igi-

tur ita se habet: v. 30 sqq. choreutae singulae progressae ad speciem contionis considunt, v. 285 exsurgunt, se constituunt, canentes proficiscuntur, nempe per eum aditum, quo Praxagora comitesque usae sunt. Per eundem v. 478 post contionem peractam reversae, ne conspiciantur, vestes suas mutantes domus umbrae se submittunt, quam spectatores sibi cogitatione fingant, ut in Vespis noctem, opus est [1]). Quando proscaenio cesserint vestibus mutatis, ex his verbis (v. 514 sqq.) manifestum est:

ΧΟΡ. κεῖται καὶ δὴ πάνθ' ἅπερ εἶπας· σὸν δ' ἔργον τἄλλα διδάσκειν,
ὅ τι σοι δρῶσαι ξύμφορον ἡμεῖς δόξομεν ὀρθῶς ὑπακούειν.
οὐδεμιᾷ γὰρ δεινοτέρᾳ σου ξυμμίξασ' οἶδα γυναικί.
ΠΡΑ. περιμείνατέ νυν, ἵνα τῆς ἀρχῆς, ἣν ἄρτι κεχειροτόνημαι κτλ.

Opere igitur confecto vestibusque mutatis chorus non abit, sed in orchestra sequentibus rebus in scaena gestis consilio adest, item ut in Lysistrata feminae in orchestram degressae dicunt v. 539 sq.: ὅπως ἂν
ἐν τῷ μέρει χἠμεῖς τι ταῖς φίλαισι συλλάβωμεν.

IX. Plutus. V. 223 sq. postquam Chremylus Carionem iussit:

τοὺς ξυγγεώργους κάλεσον, εὑρήσεις δ' ἴσως
ἐν τοῖς ἀγροῖς αὐτοὺς ταλαιπωρουμένους κτλ.

ille abit et v. 253 cum choro revertitur. Fingitur agricolas eum iam aliquantum viae secutos esse, quod v. 257 docet:

οὔκουν ὁρᾷς ὁρμωμένους ἡμᾶς πάλαι προθύμως

et v. 261:

οὔκουν πάλαι δήπου λέγω; σὺ δ' αὐτὸς οὐκ ἀκούεις.

Ergo Cario cum choro in orchestra prodit aut in proscaenio.

---

1) A. Mueller p. 135 a. 2 eas v. 478 in orchestra prodire, de pulpito orchestrae in conistram descendere, sub hyposcaenii murum (τειχίον) se abscondere dicit, quod incredibile mihi videtur, ut mittam, illud orchestrae pulpitum vix exstitisse.

Si autem in orchestra, consentaneum est eum v. 227 etiam per orchestram abiisse, id quod certe nemo probabit, deinde putandum est v. 253—321 scaenam orbam esse, omnia in orchestra agi. Quod autem imprimis interpretes, quominus ea in proscaenio agi credant, videtur impedivisse, scil. saltatio, id minime obstat nostrae sententiae, quia videlicet haec saltandi ratio plane diversa est ab usitata. Nam et Cario pantomimicis cum motibus indecore salit potius quam saltat et chorum, qui eodem metro utitur, item saluisse apparet. Sed agricolae iam v. 316 in orchestram se conferunt obsecuti his Carionis verbis:

ἄγ' εἶα νῦν τῶν σκωμμάτων ἀπαλλαγέντες ἤδη
ὑμεῖς ἐπ' ἄλλ εἶδος τρέπεσθ' κτλ.

in quibus *ἄλλ' εἶδος* nempe ad propriam chori in orchestra saltationem referendum est.

X. Nubes. Quam fabulam, cum chori motus non tam perspicue describi possint, ad finem reposuimus. Nunc autem, postquam in ceteris fabulis chorum in proscaenio induci vidimus, satis habere nos licet demonstravisse nihil, quominus eandem rationem ad hunc referamus chorum, obstare. Socrates v. 269 sqq. nubes ad se advocat, quae v. 326 *παρὰ τὴν εἴσοδον* — quod parodum significare non oportere in Avibus tractandis notavimus — in scaena apparent, mox postquam Strepsiadi eximiam dicendi facultatem donaverunt, v. 476 eum Socrati committunt docendum ceduntque in orchestram. Ita ne duplicis recensionis quidem rationem nos habere necesse est. —

Quibus rebus expositis moverit quispiam hanc fere dubitationem: 'Demonstravisti chorum, donec rerum in scaena gestarum non modo verbis, verum etiam factis participem se praestat, in proscaenio versari. Sed nonne in exodis quoque et in iis potissimum, quae bene nobis servatae videntur, a tranquillo, quem in orchestra praebet, dicendi more recedens

in ea, quae in scaena aguntur, se praecipitat? Tamen per orchestram abit, et abit per parodum, qui per portam scaenicam venit! Sed quid, si singularum fabularum exodis perspectis demonstrare suscipiamus chorum abiisse quoque in proscaenio? Conamur.

I. Acharnenses. Dicaeopolis postquam congium primus exhausit, gaudio et ebrietate elatus v. 1198 apparet atque victoria sua gloriatus chorum, ut se sequatur, monet v. 1231:

ἕπεσθέ νυν ᾄδοντες ὦ τήνελλα καλλίνικος,

quibus verbis Acharnenses obsequuntur:

ἀλλ᾽ ἑψόμεσθα σὴν χάριν
τήνελλα καλλίνικος ᾄ-
δοντες σὲ καὶ τὸν ἀσκόν.

Iam si quaeritur ubi Dicaeopolis et choreutae abeant, tres exstant diversae opiniones: abierunt aut choreutae in orchestra, Dicaeopolis in proscaenio, aut utrique in orchestra, aut utrique in proscaenio. Quarum in prima, quod chorus quamvis Dicaeopolidem secutus tamen aliam atque ille viam ingrediatur, aeque offendimus atque in altera, quam cum alii tum Enger (N. Jahrb. f. Ph. LXVIII p. 261) usurpaverunt. Dicit enim: 'in den meisten Stücken gehen die Bühnenpersonen durch die Orchestra ab'. At cum in nulla fabula ante exodum personam in orchestra inveniamus, procul est ab omni verisimilitudine eas in exodo de proscaenio descendere, praesertim cum in hoc etiam prodeant. Deinde si hoc credimus, verbum aliquod desideramus, ex quo Dicaeopolidem ad chorum adiisse colligi possit. Immo quia ille Acharnenses sequi iubet, perspicuum est eos proscaenio occupato cum Dicaeopolide per scaenae aliquam portam abiisse. Quod denique Schoenborn censet: 'Denn wenn er über die Bühne hinzöge, müsste ein längerer Chorgesang das Stück beschliessen', nihil profecto obstat, quominus Acharnenses, donec egressi sint, assidue *τήνελλα καλ-*

λίνικος clamavisse putemus aut Zielinskio fidem habeamus, qui eos post v. 1234 carmen quoddam notum cecinisse arbitratur.

II. Equites. Chori exodum, quae certo exstitit, intercidisse valde dolemus. Sed fortasse equites Cleonem (cf. v. 1407) in proscaenio asportant.

III. Nubes. Ne in hac quidem fabula res manifesta est. Tamen videamus, num quid probabile de chori decessu proferri possit. Codices R et V quidem perperam v. 1508 sq. Mercurio tribuunt, qui in tota fabula partes non habet, ceteri Strepsiadi continuant, ita ut extrema fabulae verba a v. 1506 sic exhibeant:

ΣΤΡ. τί γὰρ μαθόντες τοὺς θεοὺς ὑβρίζετε,
καὶ τῆς σελήνης ἐσκοπεῖσθε τὴν ἕδραν;
δίωκε, βάλλε, παῖε, πολλῶν οὕνεκα,
μάλιστα δ' εἰδὼς τοὺς θεοὺς ὡς ἠδίκουν.
ΧΟΡ. ἡγεῖσθ' ἔξω· κεχόρευται γὰρ μετρίως τό γε
τήμερον ἡμῖν.

Versus autem 1508 sq. a Strepsiade abiudicandos esse iam pridem Beer et alii viderunt. Neque praeter chorum quisquam adest, cui tribuantur, et profecto huius verba esse ex ratione illa incitandi colligere possumus, qua chorus saepius utitur ut Ach. v. 281—283:

βάλλε βάλλε βάλλε βάλλε
παῖε πᾶς τὸν μιαρόν,
οὐ βαλεῖς, οὐ βαλεῖς.

Equ. 247: *παῖε παῖε τὸν πανοῦργον κτλ.*

Av. 365: *ἕλκε τίλλε παῖε δεῖρε κόπτε κτλ.*

Quod enim omnibus his locis choreutae inter se incitant, Nub. v. 1508 eos idem facere verisimile est. Versus sequens deinde, qui est:

μάλιστα δ' εἰδὼς τοὺς θεοὺς ὡς ἠδικουν

cum repetat tantum modo Strepsiadis verba antecedentia, et Heliodorus, quod Bergk monet, in extrema parte fabulae

quindecim trimetros numeravit, delendus mihi videtur cum Bergkio. Sed nescio an tetrameter quoque extremus ab alio quodam additus sit. Quae si statuimus, genuina poëtae verba usque ad v. 1508 pertinere, itaque chorum hoc cum clamore pulpitum scaenae occupasse et Socratem discipulumque e domo incenso fugientes persecutum esse quin existimemus, nihil nos prohibet. Nec si quis extremum versum poëtae tribuerit, sententiae nostrae obest. Dixerit enim e verbis *ἡγεῖσθ' ἔξω* colligi chorum per parodum proficisci. At actores quoque, qui in scaena abeunt, dicuntur '*ἐξιέναι*', ut in Equitibus v. 1407. Demus Cleonem asportari ita iubet: *κἀκεῖνον ἐκφερέτω τις*, Av. 1169 autem, ubi nuntius in scaena apparet, legimus: *ἐσθεῖ*. Qua dicendi ratione poëtam uti posse, consentaneum est, quod proscaenium locus parascaeniis quodammodo clausus est, per quorum portas exitur. Itaque Nubium exodo choreutas in scaena abire si non probatur, certe non redarguitur.

IV. Aves. In Avibus similiter atque in Acharnensibus, si chorum ex orchestra exire statuimus, credere nobis opus est Pithetaerum in orchestram descendisse. Nam chorum, ut se sequatur, invitat v. 1755 sqq.:

ἕπεσθέ νυν γάμοισιν, ὦ
φῦλα πάντα συννόμων
πτεροφόρ', ἐπὶ δάπεδον[1] *Διός*
καὶ λέχος γαμήλιον.

Sed quanto verisimilius est eos, qui a Pithetaero monentur, ut nuptiis adessent, eum adiisse, quam Pithetaerum cum Basilia in orchestram descendisse, cuius rei in poëtae verbis nequaquam ullum vestigium latet. Aves autem ascendisse iam v. 1720 videntur hoc cum clamore:

ἄναγε, δίεχε, πάραγε, πάρεχε,
περιπέτεσθε
μάκαρα μάκαρι σὺν τύχᾳ.

1) Meineke.

V. Ranae. Res aeque atque in Avibus perspicua est. Nam mystae Aeschylum facibus prosequi a Plutone his verbis iussi v. 1524 sqq.

φαίνετε τοίνυν ὑμεῖς τούτῳ
λαμπάδας ἱεράς, χἄμα προπέμπετε
τοῖσιν τούτου τοῦτον μέλεσιν
καὶ μολπαῖσιν κελαδοῦντες,

nempe ad Aeschylum, quem honore afficere volunt, accedunt neque cogitare possumus Aeschylum, ut honoraretur, illos adiisse. Itaque chorus ad proscaenium ascendit.

VI. Ecclesiazusae. Supra in tractanda huius fabulae parodo Engerum (N. Jahrbb. f. Ph. LXVIII p. 257 sqq.) et Arnoldtium l. l. μείρακας illas v. 1138 commemoratas — scholiasta eas cum choreutis confundit — saltatrices duxisse cognovimus, quae parabasis et stasimorum locum saltando explevissent. Quod si rectum sit, eas non in proscaenio, sed in orchestra fuisse iure contra Engerum Arnoldt monet; deinde autem nos exspectare eum locum a poëta significari, quo saltatrices adveniant incipiantque saltare. Quem locum v. 503:

χαὖται γὰρ ἥκουσιν πάλαι τὸ σχῆμα τοῦτ' ἔχουσαι

non esse iam supra in Arnoldtii de duabus semichoris sententiam inquirentes vidimus. Itaque quando saltatrices prodeant, nullo modo ostenditur, sed v. 1138 subito ab actoribus earum ratio habetur. Quod fortasse ferri possit, sed cur v. 1151 erus degressus saltatrices secum ducere iubeatur, chorum, qui item in orchestra versatur atque item epulari vult, non iubeatur, non videmus. Quibus de causis illas μείρακας meretrices esse sine ulla dubitatione statueremus, praesertim cum similiter in extremis Acharnensium Equitum Pacis partibus meretrices gaudium augere sciamus, nisi Praxagora dixisset v. 718 sq.:

ἔπειτα τὰς πόρνας καταπαῦσαι βούλομαι
ἁπαξαπάσας.

Quo potissimum loco permotus Enger *μείρακας* saltatores videtur habuisse. Sed nonne licet putare consilio poëtam in fine fabulae, in quo omnes summo gaudio, quin etiam ebrietate affectos facit, minus sibi constitisse? Atque quam segniter Praxagorae instituta servatae sint, eius viri, qui sua non deponit, exemplum docet, quantis cum difficultatibus effecta sint, iuvenis ille calamitatibus suis declarat. Itaque mihi quidem persuasum est ancillam eam, quae v. 1112 prodit, duas vel plures meretrices secum ducere, ad quas chori verba spectant v. 1151 sq.:

τί δῆτα διατρίβεις ἔχων, ἀλλ' οὐκ ἄγεις
τασδὶ λαβών;

Ergo cum meretrices sint, in orchestra non versantur, neque ero, ut eas ducat, in orchestram descendendum est, neque omnino habet, cur descendat. At nonne v. 1152 (*ἐν ὅσῳ καταβαίνεις*) tamen id fecisse dicitur? Quod si putamus, et eum et meretrices et chorum per orchestram abire cogimur ut concedamus. Qua in re A. Muellero (p. 110 a. 3) adstipulor, qui *καταβαίνειν* vocem e priscis temporibus, quae significet 'in scaena abire', usitatam censet et similiter *ἀναβαίνειν* vocis adhibitae exempla affert ut Equ. v. 148 sq.:

δεῦρο, δεῦρ' ὦ φίλτατε,
ἀνάβαινε σωτὴρ τῇ πόλει καὶ νῷν φανείς

et scholiastae, quae huc spectat, adnotationem: *διὰ τί οὖν ἐκ τῆς παρόδου; τοῦτο γὰρ οὐκ ἀναγκαῖον. λέγεται γὰρ καταβαίνειν τὸ ἀπαλλάττεσθαι ἐντεῦθεν ἀπὸ τοῦ παλαιοῦ ἔθους.*

Chorus igitur v. 1150 sq. erum ad cenam ire iubet eundemque cantu, dum abeat, se celebraturum esse pollicetur. V. 1165 deinde videlicet (*Κρητικῶς οὖν τὼ πόδε καὶ σὺ κίνει*) saltare incipit idemque erum in proscaenio facere iubet. Qua de causa chorus, cum v. 1179 *αἴρεσθ' ἄνω* clamat, saltandi initium significare non potest. Sed quomodo haec intellegamus extrema verba:

αἴρεσθ' ἄνω, ἰαί,, ἰαί.
δειπνήσομεν, εὐοῖ, εὐαῖ,
εὐαῖ, ὡς ἐπὶ νίκῃ·
εὐαῖ, εὐαῖ, εὐαῖ, εὐαῖ?

Nonne paene oculis conspicere nobis videmur choreutas laetitia exsultantes ascendentesque ad pulpitum, ut erum secuti cenatum eant?

VII. Lysistrata. Lysistratam, quoniam chorus similiter exit atque in Ecclesiazusis, sed res per se non tam manifesta est, post illam tractamus. Verum non modo de chori decessu, sed de tota extrema parte in incerto sumus, quae nisi expedimus, ne de ea quidem, quam nunc habemus, quaestione quidquam statuere possumus. Ea enim ratio, qua in optimis codicibus versus inter singulas personas dividuntur, a plerisque editoribus magnopere in dubitationem vocata est atque diversissimum in modum. Cum autem tanta dissensio exstet, certissima progredimur via, si ad codicum fidem redimus. Quorum lectio mihi, si a paucis discesseris, una videtur recta esse et bene explicari. Itaque eum locum, de quo maxime certatum est, ita, ut mihi probabile videtur, scribam.

1189 *ΧΟΡ. ΓΥΝ. στρωμάτων δὲ ποικίλων κτλ.*
1216 *ΑΓΟΡΑΙΟΣ. ἄνοιγε τὴν θύραν σύ. ΘΕΡ. παραχωρεῖν θέλεις:*
ὑμεῖς τί κάθησθε; μῶν ἐγὼ τῇ λαμπάδι
ὑμᾶς κατακαύσω; φορτικὸν τὸ χωρίον. (?)
ΑΓ. οὐκ ἂν ποιήσαιμ'. ΘΕΡ. εἰ δὲ πάνυ δεῖ τοῦτο δρᾶν,
ὑμῖν χαρίσασθαι, προσταλαιπωρήσομαι[1]).
ΑΓ. χἠμεῖς γε μετὰ σοῦ ξυνταλαιπωρήσομεν.
ΘΕΡ. οὐκ ἄπιτε; κωκύσεσθε τὰς τρίχας μακρά.
οὐκ ἄπιθ', ὅπως ἂν οἱ Λάκωνες ἔνδοθεν
καθ' ἡσυχίαν ἀπίωσιν εὐωχημένοι;

1) Enger.

1225 *ΑΘΗΝΑΙΟΣ.* οὔπω τοιοῦτον ξυμπόσιον ὄπωπ' ἐγώ.
ἦ καὶ χαρίεντες ἦσαν οἱ Λακωνικοί.
ΧΟΡ. ΓΕΡ. χἠμεῖς δ' ἐν οἴνῳ ξυμπόται σοφώτατοι.
ΑΘ. ὀρθῶς γ', ὁτιὴ κτλ.
1239 *ΘΕΡ.* ἀλλ' οὑτοιὶ γὰρ αὖθις ἔρχονται πάλιν
1240 ἐς ταὐτόν. οὐκ ἐρρήσετ', ὦ μαστιγίαι;
ΑΓ. νὴ τὸν Δί, ὡς ἤδη γε χωροῦσ' ἔνδοθεν.
ΛΑΚ. ὦ πολυχαρίδα κτλ.
1245 *ΑΘ.*

Abiudicavimus v. 1221 a choro, quia, cur servi calamitatum particeps esse velit, non videmus. Itaque rem ita agi puto: Ianitor 'Si plane opus est', inquit, 'vobis obsequi, calamitates mihi perferendae erunt'. Qua re circumforanei, sive eorum dux, non arcentur, sed se cum illo mala laturos esse dicunt. Qua importunitate iratus ianitor eos face repellit. Deinde codices v. 1228—1240 falso choro senum tribuunt. Nam v. 1239 sq. ianitoris esse manifestum est, v. 1228—1238 autem nemo, quin epulis interfuerit, dicere potuit, itaque Atheniensis loquitur. Atque cum appareat eundem v. 1225 sq. locutum esse, v. 1228 sqq. autem ab alio pronuntiatos esse atque v. 1227, denique neque ianitorem neque circumforaneos v. 1227 dixisse, hic choro senum tribuendus est et aptissime tribuitur. Itaque in codicibus signum v. 1228 *ΑΘ* antecedentis versus signo *ΧΟΡ. ΓΕΡ.* loco suo motum est. Feminarum autem esse v. 1189—1215 cum ipsae universo eorum argumento ostendunt, tum Lysistratae verba, quae idem carmen a feminis cani his verbis antecedentibus confirmat v. 1183 sq.:

ἕως ἂν αἱ γυναῖκες ὑμᾶς ἐν πόλει
ξενίσωμεν, ὧν ἐν ταῖσι κίσταις εἴχομεν.

Feminae igitur cum carmine his verbis confecto:

πρός γε μέντοι τὴν θύραν
προαγορεύω μὴ βαδίζειν

τὴν ἐμὴν, ἀλλ'
εὐλαβεῖσθε τὴν κύνα.

in fabula non amplius verba faciant, certe Lysistratam ceteras per proscaenium secutae discesserunt. Senes autem, quod v. 1227 loquuntur neque ulla re eos abire probatur, manere in orchestra apparet. Atque cum de Atheniensibus exeuntibus ab epulis nihil dicatur, Lacedaemonii exeuntes praedicentur, tamen v. 1279 chorum Atheniensium inveniamus iuxta Laconicum, dubium esse non potest, quin senes chorum Atheniensium praestent. Qui v. 1279—1290 saltantes carmen suum exodicum canunt, v. 1291 autem proscaenium petunt et cum clamoribus abeunt. Ita finis paene idem est atque in Ecclesiazusis:

αἴρεσθ' ἄνω, ἰαί,
ὡς ἐπὶ νίκῃ, ἰαί
εὐοῖ ευοῖ, εὐαῖ εὐαῖ.

Lacedaemoniorum autem chorus, quorum partes feminarum semichorum vestibus, dum res v. 1216—1240 descriptae aguntur, mutatis suscepisse nunc certum fuerit v. 1241 e scaenae domo progressus in orchestram descendit et saltat v. 1247—1272, deinde v. 1296 sqq. Sed extrema verba cum interciderint, statuere non possumus, qua ratione ille semichorus exierit. Tamen eum quoque ad scaenam revertisse consentaneum est.

VIII. Plutus. Fabula agmine sollemni finitur, quo sacerdos Chremylus Cario anus Plutum deum in arcem producere volunt. Chorum autem iam v. 1208 in eodem loco, quo illi stant, versari necesse est secundum eius verba v. 1208 sq.:

οὐκ ἔτι τοίνυν εἰκὸς μέλλειν οὐδ' ἡμᾶς, ἀλλ' ἀναχωρεῖν
εἰς τοὔπισθεν· δεῖ γὰρ κατόπιν τούτων ᾄδοντας ἕπεσθαι.

Nam quod recedunt, ut pompae se adiungant, unamquamque profligant dubitationem, quin ante hos versus in proscaenio sint, nisi forte pompa in orchestra proficiscatur.

Agricolae igitur in proscaenio pompam subsequuntur per scaenae portam.

IX. Thesmophoriazusae. Chorus postquam sagittarium v. 1226 dimisit, ipse cum his verbis cedit:

ἀλλὰ πέπαισται μετρίως ἡμῖν·
ὥσθ' ὥρα δή 'στι βαδίζειν
οἴκαδ' ἑκάστῃ. τὼ Θεσμοφόρω δ'
ἡμῖν ἀγαθὴν
τούτων χάριν ἀνταποδοῖτον.

Quae si per se consideramus, quamquam chorum in proscaenium gradi non ita perspicuum est, tamen ceterarum fabularum exodis cognitis hic quoque illud existimandum nobis videtur. Neque plane indicium eius rei desideratur. Quod enim *οἴκαδε βαδίζειν* volunt, verisimilius est eas per scaenae portam abire urbis viam ostendentem, quam in orchestra apparatu scaenico non exornata.

X. Vespae. In Vesparum exodo Philocleo tantam ostendit rabiem, ut id faciat, quod in nulla alia Aristophanis comoedia reperimus: descendit in orchestram, saltando ut certet cum Carcini filiis. Illos autem, qui sunt saltatores, postquam Philocleo his verbis ad certamen provocavit v. 1498 sq.:

εἴ τις τραγῳδός φησιν ὀρχεῖσθαι καλῶς,
ἐμοὶ διορχησόμενος ἐνθάδ' εἰσίτω

in orchestra prodiisse verisimile est, quod idem v. 1514 dicit:

ἀτὰρ καταβατέον γ' ἐπ' αὐτούς, ᾦζυρέ.

Chorus deinde ut spatium det saltandi, paulum recedit, carmine suo saltantibus adest, Philocleonem incitat, ut vincat. Sed extremi chori versus viris doctis ita, ut in libris leguntur, incerti visi sunt:

ἀλλ' ἐξάγετ', εἴ τι φιλεῖτ', ὀρχούμενοι θύραζε
ἡμᾶς ταχύ· τοῦτο γὰρ οὐδείς πω πάρος δέδρακεν,
ὀρχούμενος ὅστις (R: ὀρχουμενός τις) ἀπήλλαξεν
χορὸν τρυγῳδῶν.

Plerique enim ἡμᾶς in ὑμᾶς et ὀρχούμενος in ὀρχούμενον mutatis rem ita explicaverunt: 'Abite nunc, neque enim unquam quisquam hoc fecit, scil. chorum comicum saltantem abduxit'. Quam sententiam scholiasta quoque habuit, qui hoc adnotat: *Εἰσέρχεται ὁ χορὸς ὀρχούμενος, οὐδαμῶς δὲ ἐξέρχεται.* Atque sensu quidem Engeri quoque opinio (Rh. Mus. LXVIII p. 262) probabilis est, qui ὀρχούμενος scribit et ita explicat: 'Apage nunc, neque enim adhuc quisquam saltando chorum loco suo movit (ut nunc Philocleo et Carcini filii Vespas'). Sed neque veteri interpreti neque aliis interpretibus fidem habere licet, cum poëta illud non dicat, sed: 'hoc nemo adhuc fecit, quicunque ...' Neque vero in hoc sensus, qui placeat, inest. Immo servata codicum lectione res ita intellegenda mihi videtur: chorus ipse quidem non saltat initio, sed saltantes incitat, furore autem ipse denique inflammatus particeps fit saltationis et illos rem plane novo modo finire iubet, cum per parodum abeant ipsumque abducant. Nam chorum in fine ab actoribus abduci in plerisque comoediis vidimus. Vespae igitur hac mente loquuntur: 'Sed ducite nos saltantes, si quid carum vobis est, per parodum; neque enim unquam adhuc quisquam hoc fecit, quicunque saltans chorum abduxit. Namque alias actores chorum per scaenam abducunt'. Itaque cum hic ut singulare praedicetur id, quod re vera in ceteris fabulis non invenimus, scil. chorum per orchestram abire, Vesparum exodo ea, quam statuimus, lex etiam confirmatur.

XI. Pax. Venimus ad Pacis ipsius exodum. Sed in hac quoque, ne ulla dubitatio remaneat, difficultates expediendae sunt. Quae Niejahrio (Greifsw. Gymn.-Pr. 1885) tantae videbantur, ut totum extremum Pacis locum turbatum vel 'alterius Pacis' partibus commixtum esse existimaret. Atque primum quidem, cum Trygaeus v. 1302 dicat: *ἀλλ' εἰσίωμεν* mirum est eum, quod codices habent, v. 1304 —1310 et 1312—1315 loqui; atque si eum v. 1303 scaenae

domum intravisse putamus, explicari nequit, cur Trygaeus ipse Oporam, quam v. 842 servus in domum comitatus est, non educat, sed chorus v. 1316 iubeat:

εὐφημεῖν χρὴ καὶ τὴν νύμφην ἔξω τινὰ δεῦρο κομίζειν.

Neque si hunc versum Trygaeo cum Bergkio tribuimus, proficimus quidquam. Cum autem, si Trygaeum domum omnino non ingressum esse ponimus, omnia bene procedant, illa verba, quae sunt ἀλλ' εἰσίωμεν, magnopere in suspicionem vocantur. In quibus etiam aliam ob causam offendimus. Postquam enim pueri carmina bellica cecinerunt, quae Trygaeo displicent, haec illius sequuntur verba v. 1302 sqq.:

ἀλλ' εἰσίωμεν. εὖ γὰρ οἶδ' ἐγὼ σαφῶς
ὅτι ταῦθ' ὅσ' ᾖσας ἄρτι περὶ τῆς ἀσπίδος
οὐ μὴ 'πιλάθῃ ποτ', ὢν ἐκείνου τοῦ πατρός.

Trygaeus igitur, quod pueri mala carmina canunt, cum iis domum introire vult! Iam nemo non viderit, quia Trygaeum dimissurum potius pueros esse quam cum iis iturum exspectamus, εἰσίωμεν corrigendum esse. Atque lenissima mutatione si εἴσιτόν νυν scribimus, tota difficultas dissolvitur. Lamachi igitur filius post Trygaei verba v. 1294:

ἄπερρε καὶ τοῖς λογχοφόροισιν ᾆδ' ἰών

cedit quidem, sed sodalem exspectans ante domus portam manet. Deinde ubi Trygaeus Cleonymi filium increpuit: ἀλλ' εἴσιτόν νυν· εὖ γὰρ κτλ., obsecuti ei una scaenae domum intrant. Trygaeus autem chorum ita adhortatur v. 1305 sqq.:

ὑμῶν τὸ λοιπὸν ἔργον ἤδη 'νταῦθα τῶν μενόντων
φλᾶν ταῦτα πάντα κτλ.

Atque cum agricolae v. 1311 dicunt:

ἡμῖν μελήσει ταῦτά γ'· εὖ ποιεῖς δὲ καὶ σὺ φράζων

statim, ut dapibus oblatis vescantur, proscaenium occupant, in qua re Niejahr iniuria offendit. Cenam autem specie potius quam re factam esse consentaneum est. Certe v. 1316, cum Oporam produci iubeant, ederunt, Trygaeum et Opo-

ram umeris tollunt, clamantes Ὑμὴν Ὑμέναι' ὦ per triumphum auferunt εἰς ἀγρόν, nempe quoniam in proscaenio sunt, per portam scaenicam. Qua ratione et codicum auctoritas servatur et omnia optime procedunt. —

Demonstravisse igitur mihi videor chorum comicum in extrema fabulae parte scaenae pulpitum occupare perque portam scaenicam abire. Quod certe non faceret nisi prodiret in proscaenio. Ergo si argumento nostrae sententiae ultro opus fuit, habemus nunc grave et rem confirmans.

Magno iam digressi itinere, sed quod ad rem scaenicam Pacis cognoscendam fructu non caruerit, ad nostram, quam reliquimus, quaestionem revertimur. Persuasum quidem habemus choro comico in proscaenio versari non modo licere, verum etiam eum semper ingredi per scaenae portas, ante parabasin autem in orchestram descendere. Nunc igitur si rogamus, quomodo difficultates quaedam, quae in Pace a choro extrahenda exstare videntur, expediri possint, imprimis huius de chori motibus legis habenda est ratio. Atque profecto cum ea ratione omnia bene se habere videantur, accuratius in eas res, quae in caelo agi cogitantur, inquiramus.

Videmus igitur in scaena Iovis regiam et antrum, quod nescio an in parascaenio fuerit tectum periacto, cuius pictura saxa praebuerit. Qua ratione spectaculum ipsum statuae extrahendae, quod in scaena agi non bene potuerit, spectatorum oculos effugit. V. 301 chorus et mutae personae in scaena procedunt, ille, quod verisimile est, ex altero, hae ex altero parascaenio. Personas autem illas in proscaenio cum choro induci unice est probabile, quia neque chorum in orchestra, ceteros in scaenae pulpito prodiisse potest cogitari neque personas mutas cum choro in orchestra, i. e. personas dumtaxat ad scaenam pertinentes in loco soli choro permisso apparuisse. Tum si in orchestra omnes advenerint, putandum etiam spectatoribus fuerit orchestram terram esse, ex qua in pulpitum ut in caelum agricolae ascen-

derint, quae res, cum Trygaeus eodem plane alio modo pervenerit, admodum est improbabilis. Sed accedit, quod orchestra certum locum indicare non potest. Optimum immo erat chorum statim in caelo apparere neglecta ea ratione, qua ascenderit ex terra. Deinde cum saltent summo incitati gaudio ante ipsum Polemi domicilium, Trygaeus iure metuit, ne illum excitent. Saltatio autem eadem est atque in Pluto — conferas Pac. v. 335:

ἥδομαι γὰρ καὶ γέγηθα καὶ πέπορδα καὶ γελῶ κτλ.

cum Pluti v. 288 sq.:

ὡς ἥδομαι καὶ τέρπομαι καὶ βούλομαι χορεῦσαι
ὑφ' ἡδονῆς —

ubi similiter agricolae salute mox impetranda gavisi in proscaenio saltant ratione certe ab ea plane diversa, qua in orchestra choreae dantur. Nam ubicunque in orchestra saltari cognoscimus, numquam res significatur ita ut in Pace v. 320:

ὡς κυκάτω καὶ πατείτω κτλ.

vel v. 324 sq.:

ἀλλ' ὑφ' ἡδονῆς
οὐκ ἐμοῦ κινοῦντος αὐτὰ τὰ σκέλη χορεύετον

vel v. 332:

τὸ σκέλος ῥίψαντες.

Saliunt igitur potius quam saltant. V. 426 Mercurius Trygaei dolis et donis perductus chorum sic adhortatur:

ὑμέτερον ἐντεῦθεν ἔργον, ὦνδρες. ἀλλὰ ταῖς ἄμαις
εἰσιόντες ὡς τάχιστα τοὺς λίθους ἀφέλκετε.

Quibus verbis, id quod nunc certum est, choreutas in proscaenio stantes antrum intrare iubet. Deinde dum Pax extrahitur, mutae illae personae a Trygaeo dimissae paulatim abeunt, nempe unde venerunt, per portam scaenicam. Choreutae autem postquam opus suum confecerunt atque illorum tantummodo munus susceperunt, qui poëtae mentem vel animos suos aperiunt, locum suum in orchestra habent. Atque ut

chorus, dum in orchestram descendit, in Avibus se domum ire, in Ranis se ad deorum prata proficisci simulat, ita in Pace a Mercurio, perinde ac si in agros iret, in orchestram per Trygaeum mittitur v. 550:

ΕΡΜ. ἴθι νυν ἄνειπε τοὺς γεωργοὺς ἀπιέναι,

quibus obsecutus Trygaeus, ut upupa in Avibus, haec imperat:

ἀκούετε λεῴ (= Av. 448)· *τοὺς γεωργοὺς ἀπιέναι*
τὰ γεωργικὰ σκεύη λαβόντας κτλ.

Atque v. 564 sqq. Mercurius et Trygaeus ostendunt nobis agricolas de proscaenio cedentes, qui a. v. 582 in orchestra canunt atque v. 729, ut saepe fit in initio parabasis, instrumenta sua easque res, quibus agricolae cognoscuntur, ministris theatri, quos *ἀκολούθους* appellant, servanda tradunt.

Videmus igitur in Pace res scaenicas, quae ad chorum pertinent, ansam scrupulorum non dare, sed etiam omnia ita instituta esse, ut in optima quaque Aristophanis comoedia. Ita omnium eorum opiniones reiciuntur, qui his rebus nixi eam quae nobis servata est Pacem retractatam esse dixerunt.

Cap. IV. **De syntagmate Pacis omisso.**

Reliqua est Zielinskii dubitatio, ad quam disceptandam ea, quae in antecedentibus quaestionibus profecimus, haud parvi sunt momenti. Qui vir doctus cum earum quas nos habemus comoediarum tres, Acharnenses, Pacem, Thesmophoriazusas syntagmate, quod dicit 'Agon', sollemni ut videtur antiquae comoediae Atticae parte, carere cognoverit, quam omnes habuisse demonstrare vult, id certis de causis cum in Acharnensibus et Thesmophoriazusis tum

in Pace intercidisse censet. Atque in Acharnensibus re vera v. 557—571 ita instituti sunt, ut syntagma h. e. certamen inter Dicaeopolidem et Lamachum exspectetur. Praecipue autem offendimus in eo, quod a. v. 619 ad v. 620 sqq. tam abrupte sermo transit, ut tolerari vix possit, v. 620—625 autem ut fusior non solum Dicaeopolidis, sed etiam Lamachi oratio antecesserit, utique poscunt. Itaque pro v. 593—619 in ea comoedia, quae scaenae commissa est, syntagma fuisse Dicaeopolidis et Lamachi Zielinskio adstipulor. In Thesmophoriazusis deinde syntagma desideratur quidem, sed iure Zielinski p. 79 sqq. praecipue quod chori carmina videntur a poëta non perfecta esse — ut exemplum afferam, compositio antistrophica plane neglegitur — ne eam quidem ita ut nos manibus terimus fabulam doctam esse suspicatur. Atque rerum in hac comoedia gestarum ordo quamquam bene procedit et vix ullam habet offensionem, tamen cum ceteras praeter Pacem fabulas syntagmata habere neque in Thesmophoriazusis cur omissum sit, causam videamus, ab omni dubitatione non revocamur, an in hac quoque poëtae in animo fuerit illo certamine uti, sed eam retractationis partem non aggressus sit. Ergo cum ex fabula neque syntagma fuisse appareat neque non fuisse, mittamus eam et ad Pacem veniamus. In qua quod illa comoediae pars deest, id Zielinski retractationi tribuendum esse censuit. Namque cum Pax altera a. 421, ut Pacis statua consecraretur, scaenae esset commissa, agonem, quippe qui in tali ludo locum non habuisset, a poëta omissum esse. Quia autem hanc Zielinskii opinionem reiecimus, aliter res explicanda est, nam explicare debemus. Atque quaerimus, num omnino, quod omissum est syntagma, retractationi tribui possit. Potest, si cum Braeuningio eam, quam habemus, Pacem doctam esse negamus; sed eius rationes infirmae et iam refutatae sunt. Immo scaenae commissa est. Si autem syntagma usitata et necessaria comoedia-

rum fuerit pars, cur poëta in hac quae ducitur secunda recensione non adhibuit? Tempus quidem agonis perficiendi ei non defuerit. Reliquae igitur sunt duae sententiae: aut Pax comoedia, quae a. 421 docta est, ab initio ita instituta erat, ut syntagma ferri non posset, aut Aristophani brevi ante Dionysia certamen illud iam perfectum certa quadam de causa — nempe quod tempora mutabantur — omittendum erat neque parvo temporis spatio novum facere poterat. Sed ad hanc opinionem tum demum refugiemus, si ex illa ratione certam causam repetere non potuerimus. Itaque collatis ceteris fabulis et adhibita tabula, in qua carmina sive sermones chori, quae alicuius sunt momenti, ubi canantur sive recitentur, deinde parabases et syntagmata notavimus, videamus, num Pacis syntagmati, si exstiterit, certus locus sit tribuendus [1]).

Atque Nubes quidem nobis praetermittenda est, quod prius, scil. prioris recensionis syntagma male turbatum et cum parodi locis mixtum videtur, et item Thesmophoriazusae, quae utrum agonem habuerit, necne, non est certum. Itaque si ceteras comoedias perlustramus, primum statuere possumus syntagma semper agi, dum chorus in orchestra est. Quod, cum certamen inter actores scaenicos geratur, chorus autem dumtaxat arbitri munus habeat, iam per se intellegitur [2]).

---

1) Sy = syntagma.
P = parabasis prima.
p = parabasis secunda.

Primi tantummodo carminum versus notantur. Praeterea hoc est monendum, semper antistropham eodem loco cani, quo stropha. Itaque hac quoque ratione refellere possumus Beerii et aliorum opiniones, qui v. 582—600 antistropham esse versibus 346—360 respondentem, quorum antistropha certe versibus 385—399 efficitur male nobis traditis.

2) Quod parvum illud certamen Equ. 333—460, in quo chorus magnas habet partes, in scaena geritur, vix cuiquam offensioni fuerit, praesertim cum hoc iustum syntagma non sit, sed v. 756—940.

	Proscaenium	Trans-gr.	Orchestra	Proscaenium
Ach.	204 280 284-335 358-385 490	566	(Sy) P 626 836 929 p 971 1008-1037 1150	1231
Equ.	247 303 322 382 397	498	P 498 616-683 Sy 756-836 973 1111 p 1264	—
Nub.	?	?	466? P 510 700-804 Sy 949-1024 p 1113 1303 1345-1391	1508?
Vesp.	230 333-365 403	458	463 Sy 526-631 725 868-885 P 1009 p 1265 1450 1518	
Pax	301 346-385 459-486 512	553	582 P 729 856-909 939 978 1023 p 1127	1305
Av.	310 327-343 400	450	Sy. 451-539 627 P 676 p 1058 1188-1262 1313 1470 1553 1694	1720
Lys.	256 329	*ΓΕ*. 382 *ΓΤ*. 539	Sy 476-541 614 658 781 959 1043-1188 1247	*ΓΤ* 1215 *ΑΑ* — *ΓΕ* 1291
Thesm.	312 352 433 459 520 655	688	718 P 785 947 1136 1226	1228
Ran.	324-448	448	534-590 P 675 814 875 Sy 895-992 1099 1251 1370 1482	1524
Eccl.	30 285 478	517	Sy 571 (P 729) (876) (1111) 1151	1179
Plut.	257 288	317	(321) Sy 487 (P 626) (770) (801) (958) (1096) (1170)	1207

Sed etiam aliud, quod item res ipsa probat, animadvertere licet. Constat enim, si ordinis rerum actarum ratio habetur, duas comoediarum exstare classes. In Equitibus et Ranis omnia, quae aguntur, per totam fabulam arte inter se cohaerent atque unum habent quodammodo cardinem; in Acharnensibus, Vespis, Pace, Avibus, Lysistrata, Ecclesiazusis, Pluto ea tantummodo, quae ante parabasin geruntur, inter se arte iuncta sunt et summum fabulae argumentum continent, quae autem sunt post parabasin, ex singulis, quae per se stant, partibus composita sunt. Cum autem in Equitibus et Ranis per totam fabulam una causa ducatur, cuius summa syntagmate efficitur, hoc in altera demum fabulae parte, i. e. post parabasin esse per se intellegitur. Sed item consentaneum est in ceteris fabulis syntagma ante parabasin agi. Atqui Pax inter has fabulas est. Sequitur ut, si syntagma in ea fuerit, fuisse credendum sit inter v. 570, ubi chorus in orchestra videtur constitisse, et v. 729, initium parabasis. Sed Pacis fabulae cardo versatur profecto in ipsa Pace extrahenda. Nempe molestum fuerit ea re confecta, quam agricolae diu exspectaverunt, et postquam spectatores Trygaeum et chorum opus suum perfecisse gavisi sunt, multis etiam verbis certari, utrum iure Pax liberata sit necne!

Atque inter quos gestum sit? Nam Zielinski, qui Hyperbolum belli causam in prima recensione gessisse existimat, certas rationes nequaquam profert. Atque omnino quid Hyperbolo aut Cleoni aut Lamacho cum caelo? Nonne perlucidum est neminem Trygaei consilium impedire posse nisi caeli incolas? Iovem autem certare ne Zielinski quidem putat, Mercurius iam conciliatus est. Reliquus est Polemus. Sed illi nunquam quisquam persuaserit pacem faciendam esse. Cum enim Paci inimicus semper manserit, num eam in terram duci passus sit? Ergo ab initio tota fabula ita comparata est, ut syntagma adhiberi non possit. Cur autem

Aristophanes eo non usus sit, facile perspicitur. Certum enim est syntagmate, si in Pace fuerit, probandum fuisse pacem omnibus magis saluti esse quam bellum, poëtae igitur in animo fuisse cives, ut pacem facerent, adhortari. Sed cum iam ante Dionysia a. 421 pax certa fuerit, nimirum poëtae non erat eam commendare. Immo vero Pace fabula Aristophanes, quam laetus sit pace denique decreta, suo more aperit. Tamen syntagma tam usitatum videtur fuisse, ut comicus ne nimis procul a consuetudine versaretur, v. 582—656 formam syntagmatis, certe dimidiae eius partis, exhiberet. Quod Braeuning p. 24 eos versus reliquias iusti syntagmatis esse arbitratur, id redarguere non iam opus sit.

Itaque ne syntagmate quidem intermisso concludere licet nos retractationem Pacis fabulae manibus terere.

Cap. V. Quo omnino iure ex Pacis superstitis vitiis, quae exstant aut exstare videntur, eam esse retractatam concludatur.

Permittatur nunc mihi, ut ad vitia quaedam veniam, quae omnino sunt in Droyseni ceterorum sententiis. Droysen quidem et Zielinski primam Pacis recensionem a. 422 scaenae commissam, deinde retractatam, a poëta Dionysiis magnis a. 421 doctam esse, huius autem anni Pacem conservatam censent. Itaque si nostra Pax docta est, nonne mirum videtur poëtam singulas quasdam res, quae ad priorem annum spectabant, contra tempora autem a. 421 aperte pugnabant — ut Cleo vivus a. 421 commemorari illis videtur — non omisisse aut mutavisse? Itaque perperam nonnulli ex his rebus Pacem retractatam esse collegerunt. Cuius virorum doctorum erroris compluria iam exempla vidimus, hoc

autem loco eam Zielinskii sententiam ponamus, quae imprimis perversam eiusmodi conclusionem nobis ostendit. In ea parte libri sui, quam inscripsit 'Die Errhythmie der Chorgesänge', Zielinski has statuit leges: 'Die Errhythmie war nicht bloss für jeden einzelnen Chorgesang, sondern auch für die gesamten Compositionen desselben Stücks ... ein festes Gesetz' et 'Die Diaskeue betraf in erster Linie die Musik', atque eas comoediarum partes, quas retractatione mutatas esse in priore disputatione demonstraverat, etiam numeris a ceterarum partium numeris differentibus compositas esse invenit. Itaque quod in Pace ea chori carmina, quae ad parodum, primam syzygiam, alteram parabasin pertinent, plane alios numeros habent atque ea, quae ad secundam syzygiam, primam parabasin, quartam syzygiam spectant, haec retractatione demum orta esse possunt, illa autem ex prima Pacis recensione remanserunt. Iam vero num de errhythmia ipsa recte disputaverit, id iudicare non meum est. Sed perpendas quaeso ne Zielinskio quidem, qui Pacem a. 421 doctam ita appellat: 'das sinnreichste und artigste Weihefestspiel, das je gedichtet und gegeben worden ist', dubium esse, quin comoediae, quam putat, retractatio non incepta solum, sed ad finem a poëta perducta sit; poëta igitur cum comoediam retractaret, novas quas supposuit partes non similibus numeris atque veteres, neque veteres isdem atque novas condidit, sed totam fabulam ita instruxit, ut secundum Zielinskii ipsius sententiam opus suum perverteret!

Atque cur fabula iterum docta est? Aut in prima commissione omnibus ita placuit, ut Aristophanes iterum in scaenam eam dare iuberetur vel sua sponte daret. Quod si factum est, eum nonnisi pauca, quae anni 421 temporibus obstarent mutavisse, omnino autem opus huius anni aeque perfectum fuisse consentaneum est. An quisquam crediderit, quod Droysen dicit 'dass der Frieden, wie wir ihn jetzt

haben, die spätere Bearbeitung mit sehr starken und nichts weniger als glücklichen Veränderungen ist'? Aut prima recensio displicuit, poëta autem tamen per eandem spectatorum plausum appetens eam correxit. Prodiit igitur fabula nova, cuius altera pars tam male perfecta erat, ut Droysen iudicet: 'Nach der Parabase sinkt das Spiel tief hinab ... auch die beiden idealen Gestalten der Feier und der Fruchtin können die Langeweile und Flachheit des weitern Spiels nicht aufhalten, es schleppt sich mühsam zu Ende'. Num Aristophanem cum retractationi vel maxime operam navare deberet, tam neglegenter rem egisse credemus?

Quas difficultates cum Stanger et Braeuning iis obstare viderent, qui nostram fabulam doctam esse existimaverunt, eam numquam scaenae commissam esse statuerunt. Atque Stanger p. 43 primam Pacem a. 422, secundam a. 421 doctam esse censet, utramque per se perfectam, sed deinde utramque contaminatam esse: 'Der auf uns gekommene Friede ist die zweite Bearbeitung, versetzt mit Bestandteilen der ersten'. Sed quisnam eas contaminaverit, quomodo cui in mentem venerit ad libidinem choros agricolarum et hominum urbanorum confundere, id explicare Stanger neglexit. Longe consideratius Braeuning p. 15 superstitem fabulam non Pacem a. 421 esse neque ullo modo ad alteram illam ab Eratosthene commemoratam referri posse, sed retractationem quandam prioris Pacis non perfectam neque scaenae commissam esse dicit. Sed Braeuningium omnia antiquitatis testimonia plane deficiunt. Quia ergo, ut in fabulae ipsius indiciis se contineat, cogitur, dubitationes autem ab eo inde petitas nihili esse iam vidimus, ne illa quidem opinio quidquam habet, quod probari possit.

Reliquum est, ut pauca de superstite Pace dicamus. Magnis quidem laudibus a viris doctis — quorum iudicia Ruppersberg p. 3 collegit — non tollitur. Atque

Bergk quidem haec dicit: 'ea ...... fabula, quae conservata est, mihi semper visa est minus perfecta multoque minore arte et studio elaborata esse quam ceterae quae in illud cadunt tempus comoediae; sunt sane quae eximie splendeant etiam in hac comoedia, at alia prorsus frigent et a poëtae ingenio abhorrent'. Mueller-Struebing deinde eam appellat: 'hastig zusammengestoppelte Friedenskomödie'. Quae imprimis ad alteram eius partem videntur referenda esse, id quod Droyseni iudicium confirmat et Braeuningii extrema verba: 'Reiches Material bietet auch der der Parabase folgende Teil. Ueber ästhetischen Wert resp. Unwert ist die Kritik ziemlich einig, aber es lässt sich auch fast Scene für Scene nachweisen, dass der ganze Teil eigentlich nichts enthält als eine schülerhafte Nachahmung ähnlicher Scenen anderer Stücke. ... Die Armut und Seichtheit dieses ganzen zweiten Teils beleidigt um so mehr, je genialer sonst die Conception der Friedenskomödie ist'. Sed ea, quae ante parabasin sunt, omni ex parte perfecta Droysen ducit: 'Bis zur Parabase ist alles trefflich, grossartig und in idealster Konsequenz'. Neque quisquam iure id negaverit. Tamen ab omnibus in hac praecipue parte vestigia reperta sunt, quae fabulam esse correctam confirmarent. Vides igitur, quam male illi, qui nos Pacem mutatam habere censent, secum ipsi congruant.

Deinde posterior pars Droysenio, elegantissimo illi Aristophanis interpreti, quod aliter non instituta est, offensioni fuit: 'Die Zwiespältigkeit tritt noch deutlicher hervor, wenn man beachtet, wie die Göttin Frieden in der zweiten Hälfte des Stückes, man weiss nicht wohin, verschwunden ist, während doch gerade von ihrer Rückgabe an die Hellenen und von ihrer neuen Einweihung oder auch von einer neuen Gefährde seitens des Kriegs des Ausführlicheren die Rede sein müsste'. At nonne satis est Pacem liberatam esse? nonne tota posterioris partis indoles eam Graecis red-

ditam esse docet? nonne ultro v. 725 sq. eam cum Trygaeo ad terram descendere demonstratur? nonne post parabasin diu celebratur? Quibus cur Droysen contentus non sit, haud video. Quod autem Polemi impetum exspectat, personas Pacis et Polemi nimis, res, quae per eas significantur, parum spectavisse videtur. Nam si pax facta est, bellum esse nequit. Simulatque autem Pacis statua extracta est, Pacem potestatem habere, i. e. pacem esse videmus. Quam si Pax habet, Polemus nihil iam valet neque Pacem in periculum vocare potest. Sed Droysen pergit: 'Auch hat Vater Zeus gedroht, dass, wer die Göttin Frieden heraufholte, des Todes sterben sollte und wir hören nichts von alledem, was weiter im Himmel geschehen ist; die Götter selbst aber ..' cetera. At virum doctum iniuria poscere puto, ut illa accuratius explanentur. Atque a Iove res, ut Trygaei opera processerunt, non improbari paucis verbis sagacissime comicus indicat v. 720 sqq.:

ΤΡΥ. ὦ κάνθαρ', οἴκαδ' οἴκαδ' ἀποπετώμεθα.
ΕΡΜ. οὐκ ἐνθάδ', ὦ τᾶν, ἔστι. *ΤΡΥ.* ποῖ γὰρ
οἴχεται;
ΕΡΜ. ὑφ' ἅρματ' ἐλθὼν Ζηνὸς ἀστραπηφορεῖ.
ΤΡΥ. πόθεν οὖν ὁ τλήμων ἐνθάδ' ἕξει σιτία;
ΕΡΜ. τὴν τοῦ Γανυμήδους ἀμβροσίαν σιτήσεται.

Quo loco poëta non modo se purgat, quod scarabaeum machina sursum vectum fecit neque eum amplius exhibet, sed etiam demonstrat eum fatale quoddam animal esse, per quod solum Pax a Iove redimi possit. Iuppiter igitur eo contentus est; ceteros autem deos eius voluntati obsequi atque cum eo ad priores sedes redire non necesse erat, ut praedicaretur. Ita omnia spectatorum cogitationibus satis fecerunt.

Concedi quidem debet illam post parabasin partem non eadem arte esse confectam, quam ceteras illius temporis comoedias. Quamquam Droysen et Braeuning acrius

eam increpuerunt, quam licuit; nam si spectatoribus tam male confecta esset visa quam illis, certe comoedia secundum praemium non tulisset. Et quaecunque iudices dicunt, illam partem Aristophani ipsi tribuunt, quam profecto ea mente fecit, ut scaenae committeretur. Iam num improbabile est ipsum eam, quae doceatur, dignam habuisse? Nam poëtae saepius ipsi non recte iudicaverunt, num quid bene elaboraverint. Quod autem ingenium in hac re eum defecit, hocine vere novum atque inauditum est? Nam etiam si non ita magno studio eam aggressus sit, nonne id certis quibusdam rebus adductum esse potest? Videlicet, sive fabula prospere sive prave est elaborata, ea ratione Pacem superstitem esse retractatam nequaquam confirmatur. Immo ad opinionem contrariam probandam alicuius momenti posterioris illius partis pravitas fuerit. Neque enim iniuria Bergk (Meineke Fr. P. Com. Att. II p. 1064) hoc censuit: ... 'dubitari non potest, quin Aristophanes hanc, quam integram habemus, comoediam, cum ipse quoque parum probaret, correctam exhibuerit'. Atque mihi quidem verisimile videtur Athenienses, cum priore parte non mediocriter delectati posteriorem minus perfectam esse eo magis dolerent, poëtam, ut comoediam correctam iterum scaenae committeret, rogavisse. Sed quando et quemadmodum post a. 421 Pax fabula altera sit docta, id disceptare mihi non est propositum. Itaque ad extremam nostrae quaestionis partem transeamus.

Cap. VI. **Perdita Pax utrum ante a. 421 sit docta an postea.**

Quamquam in Pace superstite nihil inesse nobis persuasimus, ex quo eam factam ex priore quadam esse eluceat,

tamen eam posteriorem esse omnino negare nobis nondum licet. Sed ante a. 421 eiusdem nominis fabulam commissam esse iam per se non ita verisimile est, id quod Ruppersberg p. 23 sq. et alii censuerunt. Plerique enim priorem illam Pacem anno 422 tribuunt, sed eodem anno Lenaeis iam duas comoedias docuit Aristophanes, tres autem uno anno vix scaenae commiserit. Atque annis 423 quoque et 424 binas comoedias videtur docuisse. Ante a. autem 424 eiusdem argumenti fabulam exstitisse temporum rationes non patiuntur cogitari neque quisquam hanc sententiam protulit. Atque ne de Lenaeis a. 421 quidem ullus vir doctus cogitavit.

Sed omnes dubitationes ab Eratosthene removentur, qui de Pace deperdita hoc tradit: *ἄδηλον οὖν, πότερον τὴν αὐτὴν ἀνεδίδαξεν ἢ ἑτέραν καθῆκεν.* Qua de re Richteri (p. 23) sententia una recta est, cui Braeuning, Ruppersberg, Ludwig assentiuntur: Eratosthenis verba fieri non potest quin ita intellegantur: ille grammaticus in didascaliis alteram fabulam, cui Paci nomen erat, post a. 421 ab Aristophane doctam repperit.

Tamen Ludwig speciosa coniectura prolata aliam exhibet sententiam. Demonstrare enim cum susceperit veteres grammaticos primam Pacis recensionem, quae esset anni 422, tractare sibi visos esse, hoc fere modo ratiocinatur:

Eratosthenes se primam Pacem tractare putavit. Quaeritur, eandemne sententiam sequantur scholiastae. Sed in duobus ad v. 990 scholiis magnae insunt difficultates.

Schol. I. 'Offenditur eo, quod Aristophanes ab initio belli usque ad fabulae commissionem tredecim annos praeteriisse dicit. Nam poëta ipse usque ad Acharnenses sex tantum annos numeravit. Et Thucydides ab initio belli usque ad annum Pacis doctae novem numerat annos'.

Ludwig in secunda parte huius scholii haec fere intercidisse contendit: 'ab Acharnensibus autem usque ad Pacis commissionem sunt tres anni', quae verba ex inse-

quenti scholio addenda essent. Sex autem et tres annos si computavimus, ad illum Thucydidis numerum pervenimus. Sed si Thucydidem secuti ab initio belli, scil. a Phythodoro archonte usque ad Alcaeum numeramus, quo archonte secundum didascaliam Pax est docta, non novem, sed decem annos reperimus.

Schol. II. Disertis verbis exponitur quidem a Pythodoro usque ad Alcaeum numerandum esse, at ne hic quidem decem, sed novem tantum anni computantur. Novus accedit numerandi error, cum inde ab Acharnensibus Euthyno archonte docta usque ad Pacem tres tantum anni numerentur, desiderentur autem quattuor.

Corrigere quidem scholiastae verba, quod tribus locis mutandum esset, non licet. Nihil relinquitur, nisi ut scholiastae rationem et didascaliae memoriam non ad eandem Pacis editionem, sed illius ad priorem, huius ad posteriorem referamus. *Μέχρι Ἀλκαίου* autem, quae verba sunt in altero scholio, a librario sequiore inserta videntur. Itaque si non solum Eratosthenem, sed etiam huius scholii auctorem priorem Pacis editionem tractare sibi visum esse statuimus, omnia bene se habent. Hoc autem scholio Droyseni sententia confirmatur, qui priorem Pacem ad Dionysia magna a. 423/2 rettulit. ‘At Eratosthenes (schol. Pac. 48) Cleonem octo mensibus ante fabulae commissionem mortuum esse narrat. Atqui Cleo initio fere a. 422/1 cecidit; ergo Eratosthenes ad commissionem a. 421, non 422 respexisse putandus est’. Sed ex schol. Nub. 549: *ὁ Κλέων ἀποθνήσκει ἐπὶ Ἀμεινίου*, i. e. a. 423/2, cum schol. Nub. 552 coniuncto licet concludere cum scholiastas tum Eratosthenem putavisse Cleonem mortuum esse a. 423/2. Itaque tamen statuendum est veteres grammaticos eam Pacis recensionem interpretari sibi visos esse, quae edita est a. 423/2 Dionysiis magnis. Didascalia vero in argumento primo memoriae prodita ad eam Pacis

editionem pertinet, quae insequenti anno scaenae commissa est. —

His fere rationibus Ludwig adstipulatur Droysenio, cuius sententia contra nostram pugnat. Atque primum quidem videamus, num liceat cogitari Eratosthenem illam de Cleonis morte habuisse opinionem. Iam eum didascalias cum alias tum Vesparum novisse nemo ibit infitias. Et ex schol. Vesp. 239 et 704 eundem Vespas fabulam tractavisse apparet. Atqui multi eius comoediae loci, ut v. 31 sqq. 62 197 596, Cleonem Lenaeis a. 422, quo tempore Vespae docta est, superstitem fuisse docent. Qua in re profecto vir doctissimus, qui Callimachi de Maricae didascalia dubitationes recte redarguit (schol. Nub. 552), magnopere certe offenderit, si Cleonis caedem ad initium anni 423/2 rettulerit. Sed de aliqua eiusmodi offensione apud scholiastas Vesparum nihil, ne tenuissimum quidem vestigium servatum est. Deinde quod optimo cum Thucydide consensu Eratosthenes pugnam Amphipolitanam ad medium fere mensem Augustum refert, accurate se res illas cognitas habere docet; atque idem tanto ductus sit errore, ut annum perperam numeraverit? Quin etiam, si Ludwigium sequimur, illum Thucydidis libros ignorasse nobis credendum est, qui accurate rebus gestis ad singulos belli annos relatis a vere a. 423 usque ad idem tempus a. 422 indutias fuisse, Cleonem autem et Brasidam aestate a. 422 cecidisse narrat. Itaque, quae de ea re Ludwig profert, prorsus reicienda sunt. Ultro ea, qua nititur, ratio satis infirma est. Quod enim schol. Nub. 552 haec Eratosthenis verba sunt: *πῶς δ' οὐ συνεῖδεν ὅτι καὶ ἐν τῷ Μαρικᾷ προτετελεύτηκε Κλέων*, ad Nub. 549 autem scholiasta Cleonem Aminia archonte, a. 423/2 mortuum esse tradit, Ludwig concludit huius quoque testimonii auctorem Eratosthenem esse. Id quo iure colligat, non video. Sed is grammaticus, ad quem illa schol. Nub. 549 opinio redit, nescio quo errore ductus est, id quod nimios scrupulos nobis

non movet. Illum videlicet deinde auctor scholii, cui Androtionis liber prae manibus erat, correxit vel potius nonnisi Androtionis testimonium profert. Nequaquam ergo dubitari potest, quin Eratosthenes cum Thucydide Cleonis caedem ad a. 422/1, eius igitur, quam tractavit, Pacis commissionem ad Dionysia magna a. 421 rettulerit.

Sed quemadmodum illa schol. Pac. 990 indicia explicari possunt? In primo quidem scholio haec exstant: *πάλιν Θουκυδίδης, κατὰ τὰς τῶν χειμώνων καὶ θερέων εἰσβολὰς τὸν πόλεμον γεγενῆσθαι λέγων, οὐδὲ αὐτὸς εἰς τοῦτον τὸν ἀριθμὸν ἔρχεται, ἀλλ᾽ ἀπολείπεται παρὰ τὰ θ′ ἔτη.* Quicunque autem hoc integre perlegerit, ex his verbis colliget Thucydidem illud tempus, quo Pax scaenae commissa est, scil. Dionysia magna commemorare. Dionysia magna autem nunquam nominat nisi eo loco, ubi de pace a. 421 facta agitur, V 20. Atque hunc locum scholiastae ante oculos sive in mente fuisse eiusdem capitis paragrapho tertia confirmatur: *κατὰ θέρη δὲ καὶ χειμῶνας ἀριθμῶν, ὥσπερ γέγραπται, εὑρήσει ... δέκα μὲν θέρη κτλ.* Ex eo ergo capite cum sine ulla dubitatione scholiastae adnotatio prodierit, in ea θ′ in ι′ corrigendum est. Insequentis autem scholii auctor, qui scribit: *ἀπὸ γὰρ Πυθοδώρου μέχρι Ἀλκαίου θ′ ἔτη*, enumerat annos ab extremo Pythodori magistratu, ab aestate a. 431 usque ad initium anni Alcaei archontis, aestatem a. 422, peractos. Atque eadem ratione Philochorum quoque numeravisse Ludwig ipse (p. 107 a.) probavit. Nam cum scholiasta dicat Philochorum a Pythodoro usque ad Isarchum tredecim annos circumactos esse narrare, ipsum prava traditione decipi verisimile est, ita ut in eius fonte Pythodori nomen pro Theodori invaserit. Tredecim autem anni numerantur a Theodori magistratu (a. 438/7) exeunte usque ad Isarchi (a. 424/3) incipientem. Quin etiam mihi quidem persuasum est illam quoque de Alcaeo archonte adnotationem e Philochori libro

fluxisse. Quae sequuntur: *καὶ ἐν Ἀχαρνεῦσι δὲ εἶπε ὅτι ϛ' ἔτη εἰσὶν ἀφ' οὗ ὁ πόλεμος*, scholiasta ex Acharnensibus ipse petivit vel ex priore Pacis interprete. Verba autem deinde sequentia: *ἀπὸ δὲ τῆς τῶν Ἀχαρνέων διδασκαλίας γ' ἔτη* nugae sunt scholiastae propriae, qui hoc addendum esse ex prioribus falso collegit. Itaque ex priore scholio correcto nihil concludimus nisi Pacem doctam esse Dionysiis magnis a. 421, ex altero id unum, eam scaenae commissam esse Alcaeo archonte. Cuius archontis anno scholiastas Pacis commissionem tribuisse etiam schol. Pac. 466 confirmatur: *οἰμώξεσθ'*: *Ὅτι μηδὲν αὐτοῖς μέλει τῆς εἰρήνης. ἐπὶ γὰρ Ἀλκαίου σπονδάς φησι γεγονέναι Φιλόχορος πεντηκονταετεῖς Ἀθηναίοις καὶ Λακεδαιμονίοις καὶ τοῖς συμμάχοις πλὴν Βοιωτῶν καὶ Κορινθίων καὶ Ἠλείων.* Tamen contra id quoque testimonium Ludwig sententiam suam tenet. Persuadet enim sibi scholiastam, ut Boeotorum ceterorum segnitiem explicaret, historicorum libros pervolventem apud Philochorum locum invenisse et descripsisse, qui ad insequentem annum pertineret, ideo autem expresse archontis annum addidisse. Vides, ad quale refugium se conferre Ludwig opinione sua iubeatur.

Quae cum ita sint, statuendum est veteres grammaticos eam quae conservata est Pacem cum didascaliis ad Dionysia magna a. 421 rettulisse.

Atque cum in Pace superstite nulla sint retractationis vestigia, neque veteres grammatici de Pace, quae hac prior esset, quidquam tradant, Eratosthenis autem testimonio confirmetur alteram Pacem post a. 421 scaenae esse commissam, licet nobis hunc quaestionis finem statuere: ante Pacem fabulam Dionysiis magnis a. 421 doctam nulla eius nominis comoedia ab Aristophane scaenae est commissa.